This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Det här är en digital kopia av en bok som har bevarats i generationer på bibliotekens hyllor innan Google omsorgsfullt skannade in den. Det är en del av ett projekt för att göra all världens böcker möjliga att upptäcka på nätet.

Den har överlevt så länge att upphovsrätten har utgått och boken har blivit allmän egendom. En bok i allmän egendom är en bok som aldrig har varit belagd med upphovsrätt eller vars skyddstid har löpt ut. Huruvida en bok har blivit allmän egendom eller inte varierar från land till land. Sådana böcker är portar till det förflutna och representerar ett överflöd av historia, kultur och kunskap som många gånger är svårt att upptäcka.

Markeringar, noteringar och andra marginalanteckningar i den ursprungliga boken finns med i filen. Det är en påminnelse om bokens långa färd från förlaget till ett bibliotek och slutligen till dig.

Riktlinjer för användning

Google är stolt över att digitalisera böcker som har blivit allmän egendom i samarbete med bibliotek och göra dem tillgängliga för alla. Dessa böcker tillhör mänskligheten, och vi förvaltar bara kulturarvet. Men det här arbetet kostar mycket pengar, så för att vi ska kunna fortsätta att tillhandahålla denna resurs, har vi vidtagit åtgärder för att förhindra kommersiella företags missbruk. Vi har bland annat infört tekniska inskränkningar för automatiserade frågor.

Vi ber dig även att:

- Endast använda filerna utan ekonomisk vinning i åtanke
  Vi har tagit fram Google boksökning för att det ska användas av enskilda personer, och vi vill att du använder dessa filer för enskilt, ideellt bruk.
- Avstå från automatiska frågor
  Skicka inte automatiska frågor av något slag till Googles system. Om du forskar i maskinöversättning, textigenkänning eller andra områden där det är intressant att få tillgång till stora mängder text, ta då kontakt med oss. Vi ser gärna att material som är allmän egendom används för dessa syften och kan kanske hjälpa till om du har ytterligare behov.
- Bibehålla upphovsmärket
  Googles "vattenstämpel" som finns i varje fil är nödvändig för att informera allmänheten om det här projektet och att hjälpa dem att hitta ytterligare material på Google boksökning. Ta inte bort den.
- Håll dig på rätt sida om lagen
  Oavsett vad du gör ska du komma ihåg att du bär ansvaret för att se till att det du gör är lagligt. Förutsätt inte att en bok har blivit allmän egendom i andra länder bara för att vi tror att den har blivit det för läsare i USA. Huruvida en bok skyddas av upphovsrätt skiljer sig åt från land till land, och vi kan inte ge dig några råd om det är tillåtet att använda en viss bok på ett särskilt sätt. Förutsätt inte att en bok går att använda på vilket sätt som helst var som helst i världen bara för att den dyker upp i Google boksökning. Skadeståndet för upphovsrättsbrott kan vara mycket högt.

Om Google boksökning

Googles mål är att ordna världens information och göra den användbar och tillgänglig överallt. Google boksökning hjälper läsare att upptäcka världens böcker och författare och förläggare att nå nya målgrupper. Du kan söka igenom all text i den här boken på webben på följande länk `http://books.google.com/`

Gb
1
68

HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY

G. 1. 68

Harvard College Library

FROM

Prof. W. A. Neilson

STVDIA

DE

FONTIBVS FABVLARVM BABRIANARVM

SCRIPSIT

H. CHRISTOFFERSSON

LUNDAE
TYPIS CONSORTII
SKÅNSKA CENTRALTRYCKERIET
MDCCCCIV

36952

STVDIA

DE

FONTIBVS FABVLARVM BABRIANARVM

COMMENTATIO ACADEMICA, QUAM VENIA AMPLISSIMI
PHILOSOPHORVM LVNDENSIVM ORDINIS
PRO GRADV PHILOSOPHICO

P. P.

HERMAN CHRISTOFFERSSON
PHIL. LIC.

IN AVDITORIO VI NON. MAI. H. A. M. X.

Gb 1,68

HARVARD COLLEGE
JAN 24 1911
LIBRARY.

Gift of
Prof. W. A. Neilson

LUNDAE
TYPIS CONSORTII
SKÅNSKA CENTRALTRYCKERIET
MDCCCCIV

Praedicenda.

Fontes Babrii ut nemodum uno opere continuo explorandos sibi proposuit, ita multi uiri docti in singulis libelli eius partibus singulisue fabulis ad originem uariam reuocandis elaborauerunt. Quum enim de recensione textus, de re grammatica, de re metrica, de nomine, de aetate Babrii disputauerunt, quam saepissime etiam quos auctores a Babrio ad imitandum sumptos esse uerisimile esset, exquirere coacti sunt. Quoniam autem Crusius in libro, qui inscribitur »De Babrii aetate» (Leipziger Stud. II), omnes, qui antea de Babrio scripserant, facile superauit et initio commentationis conspectum fecit auctorum, qui post Babrium inuentum de aetate eius, quae quaestio maxime ad exemplaria auctoris inuenienda ualet, disputauerant, haud opus erit eorum iudicia afferre. Vt igitur a libro illo Crusii incipiam, is quidem Babrium romanum fuisse causis metricis et grammaticis demonstrare conatus etiam argumenta nonnulla fabularum ad originem romanam rettulit ut fab. 11, 95. (cf. pag. 182—189). Deinde disputatione copiosa pag. 204—225 multas Babrii fabulas ab exemplaribus diuersis antiquioribus transformatas esse ostendit, pag. 226—237 alias ad fontem recentiorem, quem Nicostrati decamythiam fuisse coniecit, arte, sententiis, moribus in his fabulis prolatis commotus transtulit. Iam igitur in hoc libro Crusius quum ex argumentis fabularum efficere uellet Babrium posterioris aetatis auctorem esse, intellexisse uidetur poëtam fontes sibi sumpsisse inter se plane diuersos, quorum argumenta retractaret, transformaret, re-

fingeret. Multo clarius confidentiusque quam in hoc libro de eadem quaestione in prolegomenis editionis Babrianae suae nuper editae pag. 32 sqq. disputauit, ubi duos potissimum fontes, alterum Aesopeum, alterum e rhetorum et sophistarum recentiorum disciplina profectum a Babrio adhibitos esse ex ipsis poëtae prooemiis concludit. Praeter hos fontes apophthegmatum et prouerbiorum collectiones, exemplorum etiam ex auctoribus antiquioribus excerptorum, nonnullos fortasse poëtas uetustioris aetatis ut Hesiodum a Babrio cognitos et adhibitos esse eodem loco breuiter commemorat. Iam antea in encyclopedia Pauly—Wissowae II p. 2658 sqq. disputatione pleniore et accuratiore de singulis Babrii fabulis disseruerat ostendens fabulas ex Aesopo sumptas aut etiam a Phaedro, qui similem fontem adhibuit, afferri aut iam apud auctores antiquioris aetatis occurrere aut ἐν μυθικοῖς a Suida allatis, quae in his solis argumentis uersantur, transscriptas esse, fabulas autem ad rhetorum disciplinam referendas plerumque aut in collectionibus paroemiographorum et in scriptis rhetorum posteriorum inueniri posse aut ad praecepta eorum compositas ex ueteribus commutatas, refictas esse. Hoc igitur loco Crusius uiam demonstrat, qua fabulae Babrianae, quamquam quales hodie in codicibus leguntur, nullo alio ordine quam secundum alphabetum proferuntur, in genera sua propria digerantur. Quo facto quum in prooemio priore se fontem Aesopeum ad fabulas conscribendas adhibuisse dicat poëta, in posteriore se rationem rhetorum secuturum esse profiteatur, etiam quae fabulae priori, quae posteriori Babrii libro ascribendae sint, discerni poterit. Quod de Babrii fontibus Rutherfordius in prolegomenis editionis suae pag. XL sqq. caute coniecit libellum Babrianum nihil aliud esse quam paraphrasin metricam decamythiae Nicostrati, id et ipsis uerbis, quae in prooemiis de fon-

tibus suis habet Babrius, et genere fabularum diuerso, quod satis testatur duos certe fontes inter se dissimiles adhibitos esse, improbabile fit. Quod Babrius quoque sicut Nicostratus decem libris fabulas suas inclusisset, unde uerisimilitudinem assequeretur coniectura, eius rei argumenta probabilia afferri non possunt, neque in libello uestigium est ullum, quod testetur a principio plura quam duo prooemia Babriana exstitisse, qua de re tamen amplius infra disputabitur. Rutherfordius quum pag. XLI sqq. totam seriem fabularum aut a religione antiqua abhorrentium aut e prouerbiis extensarum aut aliter de arte rhetorum testantium afferens concludit Babrium totum a sophistis pendere, sine dubio multas praetermisit fabulas, quae rationis scribendi rhetorum admodum expertes puriorem prae se ferunt originem. Magnum ad fontes Babrii inuestigandos adiumentum nobis praebuit Hausrathius in commentatione, quae inscribitur »das Problem der Äsopischen Fabel» (neue Jahrbücher für klass. Altertum 1898), ubi de totius fabulae graecae historia disputans fundamentum horum studiorum satis solidum posuit. Facile enim intelligitur etiam, quos fontes et auctores Babrius secutus sit, clariore lumine illustratum iri, si quando palam fiet, quae collectiones fabularum in antiquitate increbruerint. Qua de re Hausrathius in commentatione s. l. ita censet, ut duo potissimum genera collectionum fabularum exstiterint, alterum populare nomine Aesopeo prolatum, alterum scholarum usui accommodatum. Quibus in rebus hae collectiones inter se dissenserint, qualesque fuerint utriusque generis fabulae, simul nobis exponit. Quae obseruationes quemadmodum etiam de fontibus atque auctoribus Babrii ualeant, disputatione, quae sequitur, demonstrabitur. Ceteri, qui ad exemplaria Babrii illustranda aliquid attulerunt, omnes aut quasi obiter illud

argumentum attigerunt, quam ob rem melius erit suo quemque loco commemorare, aut disputationibus, quarum iam mentio est facta, eorum obseruata inutilia et irrita facta sunt. Meum igitur erit fundamentis hoc modo a uiris doctis, quos dixi, positis demonstrare conari quomodo e fontibus singulas fabulas transtulerit Babrius, quae fabulae huic, quae illi fonti adnumerandae, quae in libro priore, quae in posteriore reponendae sint.

De prooemiis et de numero librorum Babrii.

In collectione nostra duo prooemia exstant, quibus discimus auctorem fabularum alio in alia parte operis sui fonte usum esse. Plura a principio prooemia exstitisse atque fabulas ab ipso auctore decem libris diuisas esse testimonium, quod habet Suidas (cf. testimonium 10 ed. Crusii) de collectione Babriana, haud obscure docet, ad quam sententiam accipiendam Crusius (Babr. aet. 229) atque ab eo pendens Rutherfordius (proleg. XL) inclinare uidentur. Id quidem concedendum est, ut uel ex iis, quae de codicibus disputat Crusius (proleg. XII sqq.), facile apparet, Suidam ante oculos habuisse librum manu scriptum, in quo textus Babrianus admodum incorruptus legebatur. Epimythia enim in codicibus ceteris adulterata apud Suidam plane desunt (cf. Crus. proleg. pag. XIII), multique loci, qui in Athoo corrupti leguntur, emendationem lectionibus Suidae assequuntur. Si autem ipsum textum fabularum codicis Suidiani praetermiserimus, in rebus aliis a ceteris Babrianis eum codicem multum abhorruisse iam primo aspectu nobis apparebit. Suidas enim quum et Babrio fabulam dactylicis uersibus prolatam (cf. Crus. proleg. pag. XC et editionis pag. 217 fragm. 10) ascripserit et inter fabularum dactylicarum reliquias choliambos Babrii nulla auctoris mentione facta receperit, eo ipso satis ostendit se ante oculos habuisse codicem, in quo non modo fabulae choliambis conscriptae, sed etiam aliae Babrii nomine prolatae erant. Qua in re Suidam cum ceteris antiquitatis postremae auctoribus congruere facile est uidere.

Crusius enim (ed. pag. 248) obseruauit magistrum pueri Palmyreni, qui tabulas Assendelftianas, quae uocantur, conscripsit, codicem Babrianum cognouisse, in quo iuxta choliambos Babrii etiam trimetri recti eiusdem auctoris nomine scripti erant. Quod enim magistellus ille dicit se choliambos Babrii, non iambos (uide Crus. ed. pag. 248) transscribere, ea re aperte ostendit se etiam trimetros rectos Babrii dictare potuisse. Quum etiam Georgides lexicographus trimetros rectos Babrio ascripserit, Crusius (ed. pag. 248) inde concludit antiquitate labente collectionem fabularum exstitisse, in qua non modo fabulae uere Babrianae, sed etiam fabulae dactylicae et iambicae continerentur. Similem igitur librum manu scriptum a Suida adhibitum esse ad coniciendum mihi inclinat animus. Crusius (proleg. p. XC) tantum statuit Suidam codicem cognouisse in quo cum choliambis mythica coniuncta essent. Si autem in ipso codice fabulae, quae uersibus aliis conscriptae erant, iuxta fabulas uere Babrianas receptae erant, facile est intelligere diuisionem fabularum numerumque librorum in tali codice necessario alium fuisse quam in codicibus, qui choliambos Babrii solos continebant. Quae quum ita sint, non dubito statuere in libro manu scripto Suidae talem fuisse fabularum distributionem, ut decem efficerentur, quorum duo choliambos uere Babrianos, ceteri choliambos, trimetros rectos, uersus dactylicos, uersus politicos inter se mixtos continebant. Quae res nullo modo eo refellitur, quod dicit Suidas fabulas Babrii choliambis scriptas decem libris diuisas esse. His enim uerbis eum maiorem tantum fabularum numerum respexisse ex eo uidere licet, quod addit Babrium mythos Aesopeos ex prosa oratione εἰς ἔμμετρα (i. e. in formam metricam qualemlibet) ἤγουν τοὺς χωλιάμβους (cf. Crusii testimonium 10) uertisse. Vt igitur nominis Babrii ignarus Suidas fuit (qua de re

cf. Crusii ed. testimonia pag. 8), ita etiam de uersu eius incertum nobis prodit testimonium. His omnibus perpensis credo statui posse nullius momenti esse, quod Suidas decem Babrii libros nuncupat. Ceterum non in hac sola re uidere licet lexicographum illum de fabularum auctoribus nihil certi comperisse. Apud Neubnerum (Apologi graeci antiquissimi historia critica, pag. 73) inuenio Suidam animaduertisse Aesopum ea, quae ei Delphis euenissent, duobus libris conscripsisse, unde coniecit Neubner eum his uerbis indicare uoluisse etiam Aesopum, quum a Babrio duobus libris expressus esset, totidem argumenta sua comprehendisse. Quum autem alio loco (cf. Crus. test. 10) docuerit decem esse libros Babrii, coniectura Neubneri facile refellitur. Res difficillima eo modo optime explicari mihi uidetur, ut Suidas hoc loco auctorem antiquiorem, qui opus Babrii incorruptum cognouerat et Aesopi solas fabulas ab eo duobus libris expressas esse arbitratus etiam fontem Aesopeum totidem partibus distributum esse statuerat, secutus sit.

Fabularum Babrianarum distributionem ueram longe aliam esse quam exemplaris Suidiani facile est argumentis certis comprobare. Iam enim ex eo, quod duo sola prooemia Babriana nobis prodita sunt et in posteriore prioris prooemii mentio facta est, nobis concludere licet iis distributionem ueram fabularum indicari. Babrius si plures a principio libros composuisset, haud dubie etiam prooemia iis praeposuisset, nec mihi uerisimile uidetur esse librorum ceterorum prooemia, si decem auctor scripsisset, omnia plane esse deleta, primi autem et secundi librorum casu quodam diuino nobis seruata esse. Neque satis scio an ad persuadendum magis quam Suidae accommodatum sit testimonium Auiani, qui in epistola ad Theodosium scripta se fabulas Babrianas latine uertisse profitetur. Recte forsitan Crusius (Pauly-Wissowae encyclo-

ped., II, p. 2 s. Auian) coniecerit Auianum, quem post medium saeculum tertium uixisse inde concludit, non ipsius Babrii libros, sed paraphrasin Titiani latine scriptam adhibuisse. Quum autem Titianus Ausonio teste (uide Crus. ed. testimonia pag. 7) fabulas Babrii satis accurate expressisse uideatur, etiam uerisimile est eum numerum librorum et distributionem fabularum retinuisse. Sed etiamsi Auianus Titiano pro fonte principali usus est, non dubito quin iuxta paraphrasin eius etiam ipsum corpus Babrianum fabulator romanus cognouerit, quum in epistola, quam dixi, uerbis haud ambiguis dicat: »quas (fabulas) graecis iambis Babrius repetens in duo uolumina coartauit. Phaedrus etiam partem aliquam quinque in libellos resoluit.» Duos igitur solos Babrii libros Auianus cognouit. Quod Babrius decamythiam Nicostrati uersibus inclusisset, unde probabilitatem testimonium, quod habet Suidas de decem libris Babrii, assequeretur, ut coniecerunt Crusius (Babr. aet. 228) et Rutherfordius (Proleg. XL), mera est coniectura, quae argumentis parum firmis nititur.

Si ad prooemium libro I Babrii praefixum animum aduerterimus, nos non fugiet auctorem in hoc prologo componendo propositum a ratione uere Aesopea quodam modo abhorrens professum esse. Iure enim Hartungius in libro, qui inscribitur »Babrios und die älteren Iambendichter,» pag. 21 distinguit inter fabellas illas pueriles, quae animum puerorum commoueant et fabulas illas Aesopeas, quae intellectum hominum exerceant. Inter omnes fere uiros doctos nunc quidem constare uidetur (cf. Hausrath. l. l.) Aesopi libros hominibus maturioris aetatis non modo amplioris, sed etiam inferioris fortunae scriptos populares fabellas, quae sensum communem legentium tenerent, narrauisse. Babrius igitur quum Brancho puero regio (nam Branchum non eundem

esse atque Alexandri regis filium prooemii posterioris Neumanno Mus. Rhen. XXXV pag. 301 concedere non possum) fabularum librum dedicauit, naturam fabulae Aesopeae ingenio puerorum nullo modo accommodatam neglexit. Qua in re tamen simili modo etiam Quintilianus Instit. orat. I, 9, 2 errauit haec fere proferens: »igitur Aesopi fabellas, quae fabulis nutricularum proxime succedunt, narrare . . . . . condiscant.» Cum hac Babrii de fabulis Aesopeis sententia id quoque congruit, quod ad aetatem illam auream, in qua animalia, arbores, saxa loquentia facit, fabulas Aesopeas transtulit, hoc modo, si iudicio Hartungii l. l. pag. 21 credimus, aetatem illam puerilem significans, in qua animalia hominum similia sensibus et facultatibus eorum similibus praedita esse existimamus. Sin autem fabulas uere Aesopeas animo intento perlegerimus, uidebimus earum personas re uera non ad aetatem quandam auream, sed ad uitam quotidianam cuiuslibet aetatis pertinere. Animalibus enim, quae in fabulis inducuntur, nihil aliud quam hominum mores exprimuntur. Multo igitur melius et naturae fabulae Aesopeae magis conuenienter Phaedrus in prologo I Aesopi materiam, quam dicit, ad suam ipsius aetatem transtulit aperte profitens se, »si quis calumniari uellet, quod arbores, non tantum ferae loquerentur, fictis iocari fabulis.» Ex iis, quae adhuc dicta sunt, credo apparere, si corruptelas codicum, de quibus consulendae sunt editiones Crusii et Rutherfordii, omiserimus, ipsum Babrium nullo auctore uiam monstrante in prooemio I fabulas Aesopeas parum feliciter cum aurea illa aetate coniunxisse.

Sin ad cetera, quae prooemio priore continentur, transgredimur, multa et de libro auctoris ipsius priore et de condicione collectionis Aesopeae, qua usus est, testimonia utilia eo nobis proferuntur. Recte Crusius,

qui in encyclopedia Wissowae II, 2658 sqq. contendit prooemia Babriana auxilium nobis optimum praebere, quo exquiramus quibus auctoribus in fabulis suis componendis poëta usus sit, ex prooemio priore (proleg. pag. XXXII) concludit libro priori subesse collectionem antiquam Aesopeam. Deinde si uersus 14—16 prooemii respexerimus, apparebit Babrium syllogen eam Aesopeam prosa oratione scriptam [sic enim intelligenda esse uerba »τῆς ἐλευθέρης μούσης» eodem anno Rutherfordius in commentario monuit et Crusius Jahrb. f. Philol. CXXVII p. 239 comprobauit] uersibus choliambicis includendam sibi sumpsisse. A principio igitur id solum sibi proposuit Babrius ut fabulas Aesopi forma iucunda Brancho discipulo traderet. Quae quum ita sint, in libro priore reponendae sunt eae solae fabulae, quae ad syllogen Aesopeam antiquam referendae sophistarum rhetorumque arte maxime carent. Quod quidem quo ordine fabulae hodie in codicibus exstant, quum secundum alphabetum plerumque proferantur, haud facile fit. Itaque in hac perturbatione codicum nobis necesse erit ex argumentis et ratione narrandi fabularum colligere, quae libro priori, quae posteriori ascribendae sint. Ipse quidem auctor in uersibus 6 –13 prooemii breuiter quae argumenta in fonte suo Aesopeo inuenta in libro priore metro perscripserit, nobis indicat. Vt in his uersibus pollicetur, ita in fabulis 3, 16, 17, 19 etc. animalia loquentia, in 38 pinus inducuntur, de fabula 26 uersus 11 obscurus intelligi potest. Quae argumenta in prooemio commemorata apud Babrium non occurrunt, ea quin ex collectione primigenia incuria librariorum exciderint, non est dubitandum. Versus enim prooemii 9 satis comprobare uidetur etiam a Babrio in fonte Aesopeo talem fabellam lectam esse, qualem habent Phaedrus

IV, 24 et Horatius epist. ad Pisones 139 de monte parturiente.

Supra demonstrare conatus sum prius prooemium cum fabulis, quibus ab auctore praefixum est, non satis apte cohaerere. Mirum igitur uideri non potest suspiciones criticorum excitatas esse, ut Hochius (de Babrii fabulis corruptis atque interpolatis, pag. 10) omni ui affirmat totum prooemium I subditicium esse, quod tamen eum non prohibuit coniecturis locos, qui nulla egent medela, tentare. Quamquam concedere necesse erit nonnullos prooemii uersus erroribus monachorum aliorumue deprauatos esse, tamen summa eorum, quae hoc prologo proferuntur, sine dubio ab ipso poëta conscripta est. Quamuis enim male ab auctore cum ipso libello connexi sint, tamen ars uera, quae his uersibus inest, uetat eos librariorum curae ascribi. Prooemium I ad ipsum Babrium referendum esse etiam inde probabilitatem ducit, quod a ceteris quoque fabulatoribus, quorum opera ad nos peruenerunt, similia fabularum libris praefixa sunt. Vt Phaedrus, qui et ipse Aesopi fabulas uersibus inclusit, in prologo I multa cum Babrio communia habet (cf. Phaedr. I, 1—2 = Babr. I, 14—19; Phaedr. I, 6 = Babr. I, 9—11), Auianus in epistola ad Theodosium fabulis praemissa, quam sicut ipsas fabulas e Titiani paraphrasi fabularum Babrianarum translatam esse suspicatur Crusius (ed. testimonia pag. 8), ad uerba Babrii proxime accedens habet: »Loqui uero arbores, feras cum hominibus gemere, uerbis certare uolucres, animalia ridere fecimus;» unde satis apparet Titianum summam eorum, quae prooemio I continentur, in exemplari suo Babriano legisse. Auiani quidem epistola, ut quae a Babrio pendeat, id solum comprobat prooemium I genuinum esse, Phaedrus autem, quum prologum Babriani similem ei potissimum fabula-

rum libro praeposuerit, quem ex fonte Aesopeo translatum esse ipse profitetur, eo ipso indicat et suum ipsius et Babrii prologum ad exemplum Aesopei antiquioris nescio cuius conscriptum esse posse. Accedit quod etiam fabulis, quae per litteras graecas dispersae inueniuntur, nonnumquam sententiae similes adiectae sunt, ut Xenophon Memorab. II, 7, 13 fabulae, quae etiam apud Babrium occurrit (fab. 130), uerba haec praeposuit: »φασὶ γάρ, ὅτε φωνήεντα ἦν τὰ ζῷα κ. τ.λ.,» et fabula, quae est de lupis canes ab ouibus poscenti bus, in libro ab Eberhardo edito Fab. Rom. pag. 282 eodem fere modo initium capit: »καθ'ὃν χρόνον ὁμόφωνα ἦν τὰ ζῶα κ. τ. λ.,» et Halm. 377 »pastor et lanius»: »ἦν δ'ἄρα τότε ὁμόφωνα καὶ τὰ θηρία τοῖς ἀνθρώποις»; quae omnia mihi comprobare uidentur iam collectionibus Aesopeis antiquis sententias similes praefationum loco praepositas esse. Quam ob rem ad concludendum inclinat animus Babrium in ipsa praefatione componenda ex fonte eodem ex quo etiam fabulas libri I summam argumenti petiuisse. Sed ipsa sententia argumenti excepta multa sua ipsius Babrius addidit, sicut etiam ipsi tribuendum est quod in prooemio cum fabulis coniungendo, ut iam monui, parum felix exstitit. Corruptelas codicum si praetermiserimus, totum prooemium arte praestantissima compositum a ratione narrandi Aesopea simplici et nuda, quam in prioris libri fabulis ubique fere deprehendere nobis licet, omnino abhorret, unde nescio an concludendum sit poëtam, quum iam librum I ab omni parte perfecisset atque studiis rhetorum totum se daret, prooemium ad Branchum scriptum adiunxisse. Atque re uera etiam uestigia rhetorum scribendi rationis in eo inueniuntur. Quemadmodum praeceperant sophistae ut exempla ex rerum auctoribus, oratoribus, philosophis, poëtis sumpta discipulis discenda, enarranda,

ad usum certum accommodanda traderentur, ita uidemus etiam auctorem nostrum initio prooemii fabulae ab Hesiodo de quinque aetatibus narratae mentionem fecisse eamque ad propositum suum accommodauisse. Lectiones codicis Athoi prooem. I, uers. 3—5 coniecturis sanare conari, quod fecerunt plerique, qui de Babrio scripserunt, tamen laborem inutilem eam ob rem esse existimo, quod argumentis satis firmis demonstrari potest hos uersus a librario appositos esse. Theo progymn. III, 14 (Walz. Rhet. Graec. I pag. 179), si locum difficillimum recte interpretatus est Walz. (l. l. s. lin.), cuius interpretationen affero, nos edocet nonnumquam sufficere, si in oratione allusione breuiter commemoretur fabula, quod praeceptum hoc loco obseruauit Babrius. Deinde quod monuit Rutherfordius, cum usu dicendi Babriano multo melius congruet lectio, si uersus 3—5 uncis incluserimus. Iis enim deletis repetitio illa uerborum exsistet, quam Babrio ceterisque sophistis in deliciis fuisse Crusius (Babr. aet. pag. 200) et ab eo pendens Rutherfordius in editione demonstrauerunt. His igitur causis adductus non dubito cum Rutherfordio statuere librarium quendam, quum uideret fabulam, quae de aetatibus illis narratur, uersu secundo prooemii breuiter commemoratam, hac re commotum esse ut fabulam illam plenam ex Hesiodo transferret. Verumtamen eam ob rem non prohibeor Crusio (prol. pag. XXXII) assentiri exemplis comprobanti Babrium scripta Hesiodi pernouisse, atque ad ea, quae deprompsit, pro uirili parte addiderim ipsius prologi I uers. 12: ἐφύετ' ἐκ γῆς πάντα μηδὲν αἰτούσης, qui mihi satis aperte monere uidetur de Hesiodi Op. et D. uers. 117: καρπὸν δ'ἔφερε ζείδωρος ἄρουρα αὐτομάτη πολλόν τε καὶ ἄφθονον, quem uersum etiam Ouidio cognitum esse apparet ex Metam. I, 101—106.

A natura prooemii iam tractati multum abhorrent ea, quae prooemio II inter fabulas a »μ» littera incipientes inserto continentur. Nunc quidem inter omnes, qui de Babrii fabulis disputant, satis constat in codice Athoo prooemio II non ueram librorum diuisionem indicari, quod anno 1883 J. Denis (de la fable dans l'antiquité classique pag. 64) et anno 1890 Croiset in editione Babriana temere statuerunt, sed ut ipsas fabulas, ita etiam prooemium II secundum ordinem litterae incipientis collocatum esse. Librarii igitur codicis Athoi quum prooemium I solum a »γ» littera incipiens a fabulis seiunxerint totique operi praeposuerint, discrimen, quod inter fabulas librorum I et II interesse uidebimus, non satis intellexisse uidentur. Quomodo in fabulis Babrii transscribendis uersati sint, ex iis colligi potest, quae de scriptura codicis Athoi nobis prodit Crusius in commentario editionis Babrii pag. 98, unde apparet manum primam ex integro codice Babriano uerba »ἀρχή τοῦ β τμήματος» translata prooemio praeposuisse, postea autem β littera in »μ» mutata et »τμήματος» uerbo deleto titulum nouum a manu recentiore additum esse, qui cum collocatione fabularum congrueret. Librarii etsi quo spectaret prooemium secundum non intellexerunt, in ipsis quidem uersibus eius transferendis maiore quam in prooemii I reddendis cura usi sunt. Si enim ad initium et exitum eius animum aduerterimus, facile apparebit prooemium II ab ipso Babrio uersu 1 codicum nobis seruatorum introductum, sicut etiam uersu 16 finitum esse. Vt uersu 1 satis commode historia mythi introducitur, ita uersu 16 ad ipsas fabulas narrandas aptissime transitur. Etiam uersus, qui intersunt, corruptelis et lacunis admodum carent.

Ad rem nobis propositam perficiendam etiam ea quaestio quam maxime pertinet quomodo uerba prooemii

II, 16 »ἐκ δευτέρου» intelligenda sint. Fixius (cuius librum ex commentatione Hochii tantum cognoui), Crusius (de Babr. aet. pag. 240 infima et in encyclopedia Paly-Wissowae II pag. 2662) ita ea interpretati sunt, ut Babrius post librum I editum his uerbis nouum lectoribus fabularum librum traderet. Cui sententiae Hartungius l. l. pag. 11 infima accedens interpretatione satis sane obscura pag. 135 uerba germanice transtulit: »und so im zweiten Gang dir dieses Buch singen». Huic opinioni resistentes Keller (über die Geschichte der griech. Fabel pag. 408) et Hochius (de Babrii fabulis corruptis atque interpolatis pag. 15) contendunt uerba, de quibus agitur, »iterum» intelligenda esse, ut ad nouam fabularum iam ante editarum recensionem referrentur. Quae dissensio ut diiudicetur, necesse erit sermonem Babrii ipsius consulere. Ad sententiam suam comprobandam Hochius Babr. 95, 102 et 114, 5 protulit, quibus locis uerba eodem modo »iterum» significarent. Si autem exempla ea eiusdem dictionis, quae citauit Zachariae (de dictione Babriana, pag. 26), examinauerimus, apparebit ei inesse notionem, quae dictionibus »ἐκ πρώτου, ἐκ τρίτου» eodem fere modo opponatur, quomodo inter se respondent »primum, deinde, tum». Vnde etiam factum est ut dictioni »τὸ μὲν πρῶτον» loco primo positae narratione progrediente haud raro responderent ἐκ δευτέρου, ἐκ τρίτου, ut in exemplo Halm. 19 »κἀκείνη ἀρξαμένη τὸ μὲν πρῶτον τὰ ὄρη ἐξέφηνεν, ἐκ δευτέρου δὲ ἐκροφήσασα καὶ τὰ πεδία ἀπεγύμνωσεν» apparet »τὸ μὲν πρῶτον — ἐκ δευτέρου δέ» nihil aliud quam »primum-deinde» significare. Quam uim quum hoc quoque loco dictioni tribuere necesse sit, et pronomine »τήνδε» eiusdem uersus oppositione satis clara exprimatur hunc librum nihil cum priore commune habere, non

dubito iis uiris doctis assentiri, qui uerba de nouo fabularum libro intellexerunt.

Tempus inter libros I et II editos satis longum intermissum esse Crusius (de Babr. aet. pag. 240) ea potissimum re adductus statuit, quod imitatores, qui in prooemio II carpuntur, eo temporis spatio opera sua conscripsissent, neque ei coniecturae resistendum esse puto. Quod autem inde colligit librum II non eidem personae cui librum I dedicatum esse posse, mihi non perspexisse uidetur in prooemio II alloquendi rationem longe aliam esse quam in prooemio I. Quod enim in prooemio II discipulum uel potius amicum suum παῖδα = filium Alexandri regis appellat, id de aetate eius, cui librum dedicauit, nihil efficit. Quum autem in prooemio I Branchum τέκνον uocat, eo ipso ostendit se librum I discipulo uix infantiam egresso conscripsisse. Ceterum ipse orationis tenor prorsus alius prooemii I quam II profertur. Vt puer recte intelligeret, in prooemio I omnia dilucide et copiose exposuit. Vt exempla afferam, et ea, quae de aetate aurea uers. 1—13 leguntur, ita ut animo puerili conuenirent, enarrauit, et ex uers. 14—16 colligendum est Branchum nondum Aesopi fabulas prosaicas cognouisse. In prooemio autem II hominem aetate et studiis iam maturum alloquens non modo non a docta de fabularum generis historia disputatione abstinuit, sed multa etiam per ambages significauit, ut statuendum sit filium Alexandri regis, cui prooemium II scriptum est, in litteris suae aetatis multum uersatum fuisse. Quae quum ita sint, etiamsi prooemium II multis, ut ait Crusius, annis post prooemium I scriptum esse censendum est, nihil prohibet prooemium II eidem cui I discipulo uel homini familiari missum esse.

Quum de prooemio libri I disputatio erat, uidebamus uerisimile esse Babrium id ad exemplum prologi

Aesopeae collectionis scripsisse. Quod ad prooemium libri II attinet, recte monuit Crusius (proleg. XXXII) non solum eo comprobari poëtam »operam retractaturum fabularum et exemplorum collectionem a rhetore recentiore compositam adhibuisse», sed ipsum prooemium totum fere ex eodem fonte haustum esse. His de prooemiis libelli Babriani disputatis uirorum doctorum, qui in his rebus uersati sunt, inuentis nixus explorare conabor, quae fabulae ad fontem Aesopeum et Babrii librum priorem, quae ad collectionem rhetoris et librum posteriorem Babrii referendae sint.

I.

De fabulis Aesopeis libro priori restituendis.

Quibus rationibus indagari possit quae fabulae ad fontem Aesopeum et priorem Babrii librum pertineant.

Quas fabulas prior Babrii liber amplexus sit si definiemus, primum omnium, quoad eius fieri potest, necesse erit exquirere quae collectiones prosa oratione scriptae in manibus hominum antiquorum fuerint. Iam in praefatione monui Hausrathium in commentatione »das Problem der Aesopischen Fabel» (neue Jahrb. 1898, 1 pag. 306 sqq.) disputationibus Kelleri, Crusii, aliorum nisum ostendisse duo potissimum genera collectionum fabularum, alterum populare ipsi populo conscriptum, alterum ludorum usui accommodatum in antiquitate percrebruisse. Quum autem rhetores recentiores praesertim etiam eas fabulas, quas haud dubie aut ipsi finxerunt aut aliunde hauserunt, ad Aesopum rettulerint, haud facile fit definire utrum fabula quaedam uera sit Aesopea an a rhetoribus falso Aesopi nomine prolata. Ad eam difficultatem uincendam adiumentum haud spernendum nobis Hausrathius praebet, quum (pag. 308—309 l. l.) testimoniis scriptorum antiquiorum ut Aristophanis, Aristotelis nisus argumenta fabularum antiquissimarum examinauit et genera eorum certa quaedam constituit. Primum litteris mandatas esse dicit fabulas eas, in quibus animalia quaedam certa et uulgo cognita ut uulpes, leo, canis, asinus, lupus inducerentur eo quidem modo, ut ex uerbis eorum praeceptum quoddam morale ad uitam quotidianam pertinens erui posset; quibus fabulis primam syllogen Aesopeam compositam esse. His paulo

posteriore tempore in collectiones fabularum Aesopearum receptas esse docet narrationes meras, quae praecepto illo morali carentes ad delectationem solam legentium pertinerent. Multo etiam posteriore tempore in collectiones fabularum Aesopearum irrepsisse fabulas, quae quum narrationes illae supra commemoratae res mirabiles et insolitas uitae animalium et plantarum satis diligenter et accurate explicauissent, ipsae nulla explicatione rei prodita de omnibus fere prodigia narrarent. Ad historiam naturalem plerumque pertinere uidentur. Eius generis fabulae sunt Phaedri I, 25 et Babrii 14. Vetustissimum illud argumentorum genus haud dubie respiciunt uersus illi prooemii prioris, quibus poëta dicit fora animalium sermone praeditorum mediis in siluis esse hac ratione quasi exprimens naturam fabulae antiquissimae Aesopeae, qua animalium factis aut dictis re uera hominum mores describebantur. Cum hoc Babrii de foris animalium dicto haud spernendam similitudinem praebet Philostrati maior. im. I, 3 (quem locum ex Hausrathii commentatione pag. 308 et Schwabii editione Phaedriana, I pag. XVIII cognoui), ubi de tabula quadam haec fere leguntur: »θηρία γὰρ συμβάλλουσα ἀνθρώποις περιίστησι (sc. ἡ γραφή) χορὸν τῷ Αἰσώπῳ ἀπὸ τῆς ἐκείνου σκηνῆς συμπλάσασα· κορυφαία δὲ τοῦ χοροῦ ἡ ἀλώπηξ γέγραπται,» quem ad locum monuit Hausrathius imagine eius tabulae uulpem magistram chori induci; id autem indicium esse antiquissimi illius generis fabulae Aesopeae. Secundum harum fabularum locum haud dubie a lupo occupari recte animaduertit Schwabius. Vt uersum prooemii I. 8 de uetustissimo genere, ita eiusdem prooemii uersum 13 de narrationibus illis Aesopeis ab Hausrathio secundo loco positis intelligendum esse ad coniciendum inclinat animus. De tertio illo genere in prooemio desunt testi-

monia. Sed nescio an id ipsum ad condicionem collectionum Aesopearum antiquarum illustrandam aliquantum ualeat. Nam et ex ipsa natura argumentorum et ex scriptis auctorum antiquorum erui potest tertium illud genus in collectionibus Aesopeis a ceteris quodam modo seiunctum exstitisse.

Hausrathius nobis auctor est talia argumenta ex historia naturali petita saepe cum apophthegmatis et paradoxis quam proxime cohaerere. Quoniam autem Suidas (quod in commentatione Hausrathii pag. 309 inueni) Aesopum »εὑρέτην λόγων καὶ ἀποκριμάτων» uocat et Aristophanes (Vesp. 566) a mythis Aesopi »γελοῖα» eiusdem auctoris ita distinguit, ut discrimen apertum interfuisse et mythos in priore, »γελοῖα» uel apophthegmata in posteriore operis parte lecta esse appareat, non dubito statuere Suidam uoce »ἀποκρίματα» idem quod Aristophanem Aesopi »γελοίοις» intellexisse i. e. alteram aliquam partem Aesopearum collectionum. Haec igitur paradoxa, quorum numerum cursu temporum quam maxime accreuisse statuit Hausrathius, et historiolas illas naturales etsi non in omnibus, tamen in plerisque collectionibus quasi alteram partem operis Aesopei effecisse ad credendum inclinat animus. In prooemio I Babrius tamen priorem solam partem, quam »Aesopi mythi» inscriptam esse uerisimile est, respexit, nec mirum, quum argumenta altera parte recepta leuiora uiderentur. Verumtamen et Babrium et Phaedrum alteram illam partem corporis Aesopei in usum suum conuertisse ex eo intelligere licet, quod fabulas nonnullas proferunt, quae haud dubie tertio illi Hausrathii generi addendae sunt. Vt demonstremus quas fabulas Babrii liber prior amplexus sit, haec de generibus fabulae Aesopeae antiquissimae obseruata Hausrathii adiumentum nobis afferunt haud contemnendum. Haec, ut ita dicam, signa

Aesopeae narrandi rationis in ipsa natura fabularum posita, si non sola satis ad rem comprobandam ualent, tamen cum aliis firmioribus argumentis coniuncta probabilitatem quam maximam efficiunt.

Vt iam in praefatione monui, Crusius in encyclopedia Wissowae II, 2658 sqq. rationes descripsit, quibus originem fabularum Babrii inuenire nobis liceret. Ad priorem librum restituendum multum ualere docet Phaedri fabulas cum Babrianis comparatas et mythica illa, quae ad exemplum fabularum prioris Babrii libri ab iis poëtis conscripta esse coniecit, qui prooemio II carpuntur. Primum igitur in comparationem ducendae sunt eae Phaedri fabulae, quas cum Babrio communes habet. Si Phaedri prologos perlegerimus, facile apparebit etiam poëtam romanum in opere suo instituendo collectionem quandam Aesopeam adhibuisse. Quemadmodum Babrius, ita Phaedrus quum a principio id solum sibi proposuisset ut materiam Aesopi uersibus senariis poliret, postea uiam liberiorem ingressus est. Quum igitur et Babrius et Phaedrus eundem fontem profiteantur, iure exspectari potest eos etiam argumenta similia uel eadem protulisse. Quod etiam fecerunt. Collectiones Aesopeas in antiquitate uulgatas plerumque in iisdem argumentis proferendis et ratione narrandi inter se concinisse ex fabulis latinis Phaedri, graecis Babrii saepissime usque ad uerborum similitudinem inter se congruentibus uidere licet. Id quidem facile concedendum est multas esse res, in quibus inter se dissentiunt auctores ita, ut credi possit discrimina haud pauca et in argumentis afferendis et in ratione narrandi inter exemplaria Babrii et Phaedri interfuisse. Sed haud raro rectam dissimilitudinis explicandae uiam nobis ostendunt fabulae prosa oratione scriptae (quas in unum congessit Halm.), quarum haud paucis fontem uere Aesopeum subesse credendum est.

Facillime etiam factum esse potest ut auctor hic uel ille fabulam aut ad propositum certum quoddam aut arbitrario mutaret. Plerumque tamen fabulis inter se comparatis inuestigari potest utrius auctoris recensio ad fontem Aesopeum propius accedat.

Deinde Crusius ibidem in encyclopedia Wissowae ad numerum fabularum prioris libri supplendum quam maxime ualere ait fragmenta illa fabularum dactylicarum, quae apud Suidam leguntur. Vno loco collecta in editione Crusii pag. 215—221 leguntur. Subtiliter uir doctissimus, ut iam supra monui, coniecit fragmenta dactylica omnia ad imitatores illos, qui prooemio posteriore reprehenduntur, transferenda esse. Quam si acceperimus coniecturam, facile erit ostendere argumenta omnia, quae fragmentis dactylicis proferuntur, ex priore Babrii libro sumpta ueram originem Aesopeam prae se ferre. Ex uerbis enim Babrii prooemii II eruere licet poëtas fragmentorum, quum priorem suum librum emisisset Babrius, fabulas suas conscripsisse eaque sola argumenta, quae in hoc libro tractata erant, imitatos esse. Quum autem Babrius in priore suo libro argumenta Aesopea sola tractauisset, haud audacius erit contendere omnia argumenta ea, quae fragmentis dactylicis continentur, etiam ea, quae in libris Phaedri desunt, ad collectionem Aesopeam, quam adhibuit Babrius, referendas esse. Babrius quum multis annis post librum I editum (cf. Crusii de Babr. aet. pag. 240) alterum in publicum emittere uellet, priorem autem a se inuentam fabularum componendarum rationem ab aliis sibi ereptam uideret, iam uiam scribendi nouam furibus castigatis ingressus est. Si igitur statuimus a Babrio pependisse poëtas dactylicorum fragmentorum, certe credendum est ex sylloge Aesopea antiqua ortas esse fabulas eas, quae fragmentis subsunt.

Etiam alias rationes, quae ad fabulas Babrii Aesopeas indagandas ualeant, iniri posse iam per se apparet. Quae tamen quum plerumque ad singulas solas fabulas transferri possint, suis quaeque locis in usum conuertendae sunt.

Quae e fabulis Babrianis et Phaedrianis inter se comparatis de fonte prioris Babrii libri erui possint.

Qui scripta Babrii et Phaedri inter se contulerit, eum non fugiet magnum discrimen in ipsa ratione scribendi inter hos auctores interesse. Hausrathius l. l. pag. 307 animaduertit Phaedrum nonnumquam fabulas cum uita Aesopi coniungere, unde conclusit eum fontem adhibuisse, in quo fabulae ad uitam Aesopi directae (cf. II, 3) proferrentur. Babrius quum suas fabulas liberas proferat neque Aesopi nisi in prooemiis mentionem faciat, nullam talem admittit coniecturam. Sed etiam aliis in rebus inter se differunt. Babrius quum prooemiis exceptis nullo librorum loco ipse procedit eamque ob rem exemplaria sua in prooemiis solis commemorat, Phaedrus in libris suis ubique fere sui ipsius mentionem facit eamque ob rem e scriptis eius multa etiam de exemplaribus auctoris erui possunt. Quum autem in primis saltem libris Aesopum potissimum auctorem secutus sit, loquacitas eius etiam ad condicionem collectionis antiquae Aesopeae illustrandam adiumentum affert. Vandaele in commentatione »Qua mente Phaeder fabellas scripserit» nonnulla eius generis exempla collegit, ut pag. 32 leguntur: »Aesopi fabellas ipse Phaeder declarat »paucas» (Hav. 43, 14—15 et 77, 12) fuisse et »breues» (Hav. 11, 3);» deinde breuiter de iis fabulis prosaicis, quae ad nostram aetatem peruenerunt, locutus pergit: »Illud uero scimus, Aesopi logos compendium quoddam fuisse philosophiae moralis ac uulgaris, eosque non nisi ad docendos homi-

nes (cf. prol. I, 4) esse fictos, atque in eis fabulam fuisse adiumentum, ut ita dicam, sententiae moralis. Ob eam rem recte conicimus narrationem in eis fuisse breuem, nudam, ira nulla, nullo studio excogitatam, epimythium ad uniuersas res humanas pertinuisse, et iustam naturalemque narrationis fuisse conclusionem». Talis igitur collectionis Aesopeae naturam Phaedrus dicit se omni cura seruaturum esse (prol. II, 8). Quod eum etiam in prioribus suis libris fecisse haud dubie ex fabulis eius cum Babrianis comparatis elucebit. Nam rationem scribendi aliam in libris posterioribus quam in prioribus adhibitam esse ex prologis facile est intelligere. Vt ex prologo libri primi eruere licet, in hoc quidem libro Phaedrus nihil aliud sibi proposuit quam ut argumenta ex Aesopo sumpta tractaret, atque plerumque inuestigari potest eum et narrandi rationem auctoris graeci secutum esse et ipsa eius uerba expressisse. Quod enim Schwabius (ed. uol. I pag. 514) dicit »incertum esse utrum Phaedrus fabulas Aesopi per traditionem an ex ipso Aesopi libro acceperit», nunc quidem fabulis Babrianis inuentis dubitari non potest quin Aesopea sylloge ipsa ei in manibus fuerit. Tamen eam ob rem caute agendum est, quod Phaedrus inter se confudisse uidetur syllogen Aesopeam et collectionem rhetoris nescio cuius. Nam ad Aesopum fabulas transfert, quae Aesopeae nullo modo esse possunt. Vnde colligitur Phaedrum non syllogen Aesopeam solam, sed plures fontes graecos adhibuisse. Quae quum ita sint, non omnes libri primi fabulae collectioni, quae proprie Aesopi appellabatur, ascribendae sunt. Iam uero in libro secundo liberiorem se exstare contendit, et aliquid suum ipsius se immiscuisse gloriatur. In libro III dicit se in fabulis scribendis tantum Aesopi stilo usum esse et ut moneret se ipsum noua argumenta inuenisse plura

se excogitauisse quam reliquisset auctor graecus autumat. In libro IV dicit Aesopum argumenta inuenisse, ipsum autem ea perfecisse et uersibus prol. IV², 4—5 etiam alios quam Aesopeum fontem se in usum conuertisse indicat. Recte enim Havetus ad hunc locum (ed. pag. 89) animaduertit, »si nihil Phaeder praeter Aesopi fabulas solitus esset famae tradere, alium potuisse omissa inuestigare et reperire; quae autem aliunde hausisset, si omisisset, omissa esse ea diuinaturum fuisse neminem». In prologo V se tantum auctoritatis gratia Aesopi nomen interposuisse non dubitat contendere.

Iam supra commonui ex testimoniis scriptorum antiquorum erui posse collectiones Aesopeas sic proprie dictas plerumque in duas partes diuisas esse: alteram »mythi», alteram »γελοῖα» inscriptam. Eodem loco indicaui ex argumentis a Phaedro et Babrio tractatis concludi posse alteram quoque partem libri Aesopei ab iis in usum conuersam esse. Quam sententiam probabiliorem faciunt etiam ipsius Phaedri uerba prol. I, 3—4, ubi dicit libelli dotem duplicem esse, quod risum moueat et quod prudenti uitam consilio moneat, quos uersus ad talem etiam fontis auctoris diuisionem referendos esse crediderim.

Tali igitur fonti Aesopeo ascribendum esse putes quod aetate Tiberii imperatoris in Italia Phaedrus easdem fere res eademque saepe uerba profert, quae ineunte tertio post Christum saeculo Babrius in Syria a Phaedri fabulis nullo modo pendens graecis uersibus inclusit. Vt autem diligentius exploretur quo modo fontem in usum suum conuerterint auctores, quibus in rebus inter se et cum fonte consentiant, in quibus hic aut ille ab eo abhorreat, etiam fabulae eorundem argumentorum prosaicae, quae ad nostram aetatem perue-

nerunt magnae nobis sunt utilitatis. Hausrathius l. l. pag. 305 recte monet fabulas eas, quas collegit Halm. (1852), nullo modo tantum paraphrases esse Babrianarum, ut ante stutuerant uiri docti (Zachariae pag. 1), sed e contrario satis magnam earum partem ad fontes antiquiores referendam esse. Ad comparationem, quam dixi, instituendam synopsin eam, quam Rutherfordius in prolegomenis pag. 100—103 perfecit fabularum graecarum et latinarum, quarum argumenta apud Babrium exstant, me in usum contulisse fateor. Etiam Crusius (in encyclopedia Wiss. II pag. 2662) fabulas Babrii cum Phaedro communes congessit. Si igitur libellum Babrianum cum fabulis Phaedrianis comparauerimus, hae ex sylloge antiqua haustae esse uidebuntur:

Phaedr. I, 1 = Babr. 89; Phaedr. I, 3 = Babr. 72; Phaedr. I, 4 = Babr. 79; Phaedr. I, 5 = Babr. 67; Phaedr. I, 6 = Babr. 24; Phaedr. I, 8 = Babr. 94; Phaedr. I, 12 = Babr. 43; Phaedr. I, 13 = Babr. 77; Phaedr. I, 22 = Babr. 27; Phaedr. I, 24 = Babr. 28; Phaedr. II, 2 = Babr. 22; Phaedr. III, 7 = Babr. 99; Phaedr. IV, 2 = Babr. 17; Phaedr. IV, 3 = Babr. 19; Phaedr. IV, 6 = Babr. 31; Phaedr. IV, 10 = Babr. 66; Phaedr. IV, 13 = Babr. 102; Phaedr. App. 21 = Babr. 29; Phaedr. App. 24 = Babr. 3; Phaedr. App. 28 = Babr. 50.*

Quas fabulas si quis inter se comparauerit, facile consensum non modo narrationum, sed plerumque etiam cogitationum et uerborum inueniet. Quum autem, ut

---

*In numeris fabularum Phaedri afferendis librum, quem edidit Hervieux, in fabulis Babrianis citandis ordinem editionis Schneidewini bibliothecae Teubnerianae secutus sum. Phaedri fabulas eam ob rem priore loco attuli, quod quo ordine a Phaedro scriptae sunt, eodem hodie quoque corruptelis minoribus exceptis exstant.

exspectari potest, iam hic iam ille auctor fabulam aut breuiorem fecerit aut rebus nouis additis auxerit aut aliis modis mutauerit, a proposito nostro haud alienum erit fabulas in ordines quosdam dispositas seorsum diligentius tractare.

Primum igitur nobis inspiciendae sunt eae fabulae, quae maximam inter se similitudinem proferentes ad ipsum fundamentum illud, quod fontium Babrii et Phaedri commune est, quam proxime accedunt. Quae fabulae apud Phaedrum, ut exspectandum est, maxima ex parte libri primi sunt:

Phaedr. I, 4 = Babr. 79; Phaedr. I, 6 = Babr. 24; Phaedr. I, 8 = Babr. 94; Phaedr. I, 12 = Babr. 43; Phaedr. I, 13 = Babr. 77; Phaedr. I, 22 = Babr. 27; Phaedr. I, 24 = Babr. 28; Phaedr. II, 2 = Babr. 22; Phaedr. IV, 6 = Babr. 31;

quibus ex fabulis similitudinis exempla excerpsi haec:

Phaedr. I, 4, 6: Et quem tenebat ore dimisit cibum
Nec quem petebat adeo potuit tangere =
Babr. 79, 5: ἀλλ' οὐτ' ἐκείνην εὗρεν οὔθ'ὃ βεβλήκει,

Phaedr. I, 6, 7: Nunc, inquit, omnes unus exurit lacus
Cogetque miseras arida sede emori.
Quidnam futurum est, si crearit liberos? =
Babr. 24, 6: ὃς γὰρ μόνος νῦν λιβάδα πᾶσαν αὐαίνει,
τί μὴ πάθωμεν τῶν κακῶν, ἐὰν γήμας
ὅμοιον αὐτῷ παιδίον τι γεννήσῃ;

Phaedr. I, 8, 4: Os deuoratum fauce cum haereret lupi
. . . . . .
Tandem persuasa est iure iurando gruis
Gulaeque credens colli longitudinem,
Periculosam fecit medicinam lupi.
. . . . . .

Ingrata es, inquit, ore quae nostro caput
Incolume abstuleris et mercedem postules. =

Babr. 94, 1: Λύκῳ ποτ' ὀστοῦν φάρυγος ἐντὸς ἠρείσθη·
ἐρωδιῷ δὲ μισθὸν ἄξιον δώσειν
ἔταξε, τὸν τράχηλον εἰ καθιμήσας
ἀνελκύσειε καὶ πόνων ἄκος δοίη.

. . . . . .

σοὶ μισθὸς ἀρκεῖ, φησί, τῆς ἰατρείης
κεφαλὴν λυκείου φάρυγος ἐξελεῖν σῴην·

Phaedr. I, 12, 4: Et in liquore uidit effigiem suam;
Ibi dum ramosa mirans laudat cornua
Crurumque nimiam tenuitatem uituperat etc. =

Babr. 43, 3: ἐκεῖ δ' ἑαυτοῦ τὴν σκιὰν θεωρήσας
χηλῆς μὲν ἕνεκα καὶ ποδῶν ἐλυπήθη,
ἐπὶ τοῖς δὲ κέρασιν ὡς καλοῖς ἄγαν ηὔχει.

Phaedr. I, 13, 6: O qui tuarum, Corue, pennarum est nitor!
Quantum decoris corpore et uultu geris!
Si uocem haberes, nulla prior ales foret.
At ille stultus, dum uult uocem ostendere,
Emisit ore caseum quem celeriter
Vulpes rapuit. . . . . =

Babr. 77, 4: κόραξ, καλαί σοι πτέρυγες, ὀξέη γλήνη

. . . . . .

ὁ τοῖος ὄρνις κωφός ἐσσι κ' οὐ κρώζεις.
κόραξ δ' ἐπαίνῳ καρδίην ἐχαυνώθη
στόματος δὲ τυρὸν ἐκβαλὼν ἐκεκράγει.
τὸν δ' ἡ σοφὴ λαβοῦσα . . . . . .

Phaedr. I, 22, 1: Mustela ab homine prensa quum instantem necem
Effugere uellet: quaeso, inquit, parce mihi
Quae tibi molestis muribus purgo domum =

Babr. 27, 1: Γαλῆν δόλῳ τις συλλαβών τε καὶ δήσας
ἔπνιγεν ὑδάτων ἐν συναγγίᾳ κοίλῃ.
τῆς δ'αὖ λεγούσης »ὡς κακὴν χάριν τίνεις,
ὧν σ'ὠφέλουν θηρῶσα μῦς τε καὶ
σαύρας» κ. τ. λ.

Phaedr. II, 2, 3: Aetatis mediae quendam etc. =
Βίου τις ἤδη τὴν μέσην ἔχων ὥρην κ. τ. λ.

Phaedr. II, 2, 6: Ambae, uideri dum uolunt illi pares,
Capillos homini legere coepere in uicem.
Qui se putaret fingi cura mulierum,
Caluus repente factus est; nam funditus
Canos puella, nigros anus euellerat. =

Babr. 22, 1: νέον μὲν αὐτὸν ἡ νεᾶνις ἐζήτει
βλέπειν ἐραστήν, συγγέροντα δ'ἡ γραίη.
τῶν οὖν τριχῶν ἑκάστοθ'ἡ μὲν ἀκμαία
ἔτιλλεν ἃς ηὕρισκε λευκανθιζούσας,
ἔτιλλε δ'ἡ γραῦς εἰ μέλαιναν ηὑρήκει,
ἕως φαλακρὸν ἡ νέα τε χἡ γραίη
ἔθηχ' ἑκάστη τῶν τριχῶν ἀποσπῶσα.

Phaedr. IV, 6, 5: Duces eorum, qui capitibus cornua
Suis ligarant, ut conspicuum in proelio
Haberent signum quod sequerentur milites,
Haesere in portis suntque capti ab
hostibus =

Babr. 31, 18: τοὺς δὲ στρατηγοὺς εἰστρέχοντας οὐκ εἴα
τὰ περισσὰ κάρφη τῆς ὀπῆς ἔσω δύνειν
μόνοι θ'ἑάλον αὐτόθι μυχῶν πρόσθεν.

Quamuis tamen narrationes auctorum inter se congruant, ne in his quidem fabulis plane desunt uestigia, quibus concludere possimus huius uel illius narrandi rationem propius ad fontem illum Aesopeum antiquissimum accedere. Fabulis diligenter perspectis facile intelligimus Babrium in narrationibus collectionis Aesopeae

accurate reddendis maiore plerumque religione quam Phaedrum usum esse.

In fabula, quae est de cane per flumen carnem ferente, reddenda facile crediderim Phaedrum antiquioorem fabulae recensionem secutum esse. In omnibus fere narratio eius cum fabula Halm. 233 ita congruit, ut non possint non inter se quodam modo cohaerere; confer enim: Κύων κρέας ἔχουσα ποταμὸν διέβαινε = Canis per flumen carnem quum ferret natans etc.; θεασαμένη δὲ τὴν ἑαυτῆς σκιὰν κατὰ τοῦ ὕδατος, ὑπέλαβεν ἑτέραν κύνα εἶναι, μεῖζον κρέας ἔχουσαν = Lympharum in speculo uidit simulacrum suum, Aliamque praedam ab alio cane ferri putans . . . . . .; Babrius auctorue, quem secutus est, eandem fabulam cum alia coniunxisse uidetur, quae est Halm. 232, in qua canis carnem e macello furatus esse dicitur. Ceterum etiam ea ex re apparet peiorem Babrii fabulae fuisse fontem, quod uerba eius »καὶ δὴ παρῄει ποταμόν» totum fere sensum fabulae corrumpunt. Intelligi enim non potest quomodo canis, si iuxta flumen curreret, simulacrum carnis in aqua uidere posset. Hac re Bergkium aliosque commotos esse credo, ut (quod in editione Crusii pag. 70 inueni) »πέρησε» pro »παρῄει» scriberent, quam tamen coniecturam nullo modo accipiendam esse Crusio assentior. Quoniam enim eodem teste Theo prog. 3 cum Babrio congruens habet »παρὰ ποταμόν» et Doxopatrus (Walz. II pag. 188) »ἐπὶ τὸν ποταμόν» et tetrastichista huius fabulae eodem modo habet »ῥείθρου πλησίον» (cf. Crus. ed. pag. 267), ea re satis comprobatum esse censeo lectionem illam »παρῄει» ab ipso Babrio in fonte inuentam recte codicibus nobis traditam esse. Si autem uersum fabulae secundum recte se habere statuimus, necesse erit cum Rutherfordio uersum 6 delere, quem quomodo retinere possit Crusius non intelligo. In lexico enim

»πάρειμι» uerbo hoc loco sicut fab. 96, 1 praetereundi, non transeundi ui addita eandem uersus secundi interpretationem atque Rutherfordius (qui uertit »was passing along a rivers bank») amplecti uidetur.

Fabulam, quae de Solis nuptiis narratur, multo maiore fide ex sylloge Aesopea transtulit Babrius. Primum quod apte dicit Babrius Solem aestatis tempore uxorem duxisse, id a Phaedro, qui habet: »Vxorem quondam Sol quum uellet ducere» praetermissum est, quod tamen omitti minime opportuit, praesertim quum ea potissinum re periculi magnitudo exprimeretur. Id enim caput, ut ita dicam, fabulae est. Deinde in ea quoque re minus diligenter egit Phaedrus, quod ranas, quum statim intellexissent periculum, clamorem ad sidera tollentes fecit. Ad fontem Aesopeum propius accedens Babrius ranas primum gaudio elatas choros duxisse, deinde de periculo monitas esse narrat.

In fabula, quae est de grue lupo medicinam ferente, narranda omnes auctores, qui eam tradiderunt, summam formae primigeniae seruandae religionem adhibuerunt. Nullius enim momenti esse censeo quod Babrius et Halm. 276 pro grue ardeam inducunt, quum in ceteris omnibus satis ad uerba cum Phaedro et Halm. 276[b] congruant. Exempli causa affero initium fabulae 276[b]: Λύκου ποτὲ λαιμῷ ὀστέον ἐπάγη = Babr. Λύκῳ ποτ'ὀστοῦν φάρυγος ἐντὸς ἠρείσθη· et exitum fab. Halm. 276: ἀρκεῖ σοι καὶ τὸ μόνον σῴαν ἐξελεῖν τὴν κεφαλήν = Babr. σοὶ μισθὸς ἀρκεῖ κεφαλὴν λυκείου στόματος ἐξελεῖν σῴην. Quod ad prouerbium illud uulgo cognitum Zenob. III, 48: »ἐκ λύκου στόματος» a Crusio ad hanc fabulam notatum (cf. ed. pag. 82) attinet, non dubito quin ex hac fabula nobilissima originem traxerit.

Ea quoque in fabula, quae est de ceruo ad fontem cornua laudante, proferenda exemplaria Phaedri et Babrii inter se ab omni parte congruerint necesse est. Aliam forsitan eiusdem fabulae recensionem Aesopeam attulerit Halm. 128, quamquam quod pro uenatoribus leo inducitur, id etiam ex disciplina rhetorum fluxisse potest.

Vt in initio fabulae Babr. 79 = Phaedr. I, 4 inter se differunt auctores, ita in fabula Babr. 77 = Phaedr. I, 13 incipienda non satis inter se consentiunt. Hoc quoque loco crediderim Phaedrum meliorem fabulae fontem adhibuisse. Nam satis apte nobis narrat coruum caseo e fenestra rapto »in arbore celsa resedisse;» cf. Halm. 204: Κόραξ κρέας ἁρπάσας ἐπί τινος δένδρου ἐκάθισεν. Apud Crusium (ed. pag. 69) inuenio Dositheum quoque fabulae initium hoc modo scripsisse: ἐπάνω δένδρου . . . ἐκάθισεν. Babrius haud satis concinne hoc loco in medias res incidit fabulam inducens: Κόραξ δεδηχὼς στόματι τυρὸν εἱστήκει, qua re commotus Crusius coniecit fabulae initium in codicibus lacerum exstare.

In fabula Babriana 27 mustela dicit se, quod »μῦς τε καὶ σαύρας» uenaretur, homini profuisse. Quae uerba »μῦς τε καὶ σαύρας» in fonte primigenio lecta esse ex iis colligo, quae in codice Phaedri Pithoeano hodie quoque seruata sunt. Quod enim in fabulae Phaedrianae uersu 3 mustela de muribus solis neque item de »σαύραις» loquitur, id non ipsi Phaedro tribuendum est. Nam post uersum 7 codex Pithoeanus glossema habet hoc: »Hic intellege soricem esse generis masculini» (cf. Hervieux pag. 15); his uerbis equidem concluserim in textu Phaedriano a principio etiam soricis, quod nomen graeco »σαύρα» respondere apparet, mentionem factam esse, postea autem lacuna orta uerbum excidisse. Vnde apparet

lectionem, qualem eam nobis praebet Babrius, a principio etiam apud Phaedrum exstitisse eamque fontis Aesopei fuisse.

Vt fabulam, quae de nuptiis Solis est, ita etiam eam, quae de rana et boue profertur, corrupit Phaedrus. Quin forma Aesopea apud Babrium exstet, dubium esse non potest, quum Horatius eandem fabulam Sat. II, 3, 314 eodem modo quo Babrius narrauerit. Facile apparet Phaedrum fabulam ad promythium praepositum accommodare uoluisse, quo factum est ut inuidia causa esse diceretur, cur rana sese sufflaret. In fonte, qui narrationibus Babrianae et Horatianae subest, ea ratione rana mater sese sufflauit, ut sciret quanta esset belua, quae pullos suos pede pressisset. Ipse exitus fabulae Phaedrianae a fabula Aesopea primigenia abhorret, quum praecipiendi studio commotus auctor ranam se rumpentem faciat, ut comprobet praeceptum: »Inops potentem dum uult imitari perit.» Babrius et Horatius de exitu fabulae inter se consentiunt haec proferentes:

Babr.: »θᾶσσον σεαυτήν» εἶπον »ἐκ μέσου ῥήξεις,
ἢ τὴν ἐκείνου ποσσότητα μιμήσῃ». =

Horat. . . . . Non si te ruperis, inquit,
Par eris . . . . . .

Vt fab. Phaedr. IV, 6 Havetus auctore Burmanno contendit parodiam »grandioris spiritus et maiestatis tragicae» esse, ita Crusius (Babr. aet. pag. 150) nonnulla affert, quae comprobent Babr. 31 parodiam esse Homericarum pugnarum. Verisimillimum igitur uidetur esse utrumque auctorem exemplar, quod ioco risuque argumentum grandius imitaretur, secutum esse. Babrius ille quidem quum aliis quoque locis (cf. Crus. l. l.) Homerum imitatus sit, in exemplari tradendo ad pugnam Homericam imitandam commotus est. Phaedrus, qui non tam in

rebus et factis describendis quam in praecipiendo et risu mouendo uersatur, epicam longitudinem uitans uers. 9—10 tragicum colorem parodia imitatus est. Havetus scite Phaedri »tartareo specu» cum Senecae Ag. 2 »Tartari specu» comparauit. His rebus commotus statuere uelim fabulam huius argumenti Aesopeam ad eas narrationes, quas Keller pag. 318 »Die satirische Fabeln» appellat, adnumerandam esse. Kellero assentiendum esse censeo tales fabellas ex generibus antiquissimis fabulae Aesopeae paulo posteriore tempore fluxisse atque has ipsas narrationes Batrachomyomachiae auctori pro exemplaribus fuisse. Quin in sylloge Aesopea fabula, quae de bello murium et mustelarum est, ad Phaedri propius quam ad Babrii narrationem accesserit eam ob rem dubitare non possum, quod et satira eius mordacior et ornamentis rhetoricis liberior quam Babrii est et cum Halm. 291 magis congruit. Phaedrus et fabula Halm. 291 aculeum satirae Aesopeae retinentes uictos a uictoribus deuoratos esse faciunt, quum Babrius mortem Hectoris imitatus mures duces a mustelis per terram tractos esse fingat.*) Fabula quod apud omnes auctores, qui eam tradiderunt, magna uerborum copia profertur, inde concludere uelim iam in fonte antiquissimo eam a breuitate et simplicitate ceterarum abhoruisse.

In his igitur omnibus fabulis Babrius et Phaedrus ceterique auctores, qui prosa oratione easdem protulerunt, minutiis nonnullis exceptis quam accuratissime inter se consentiunt et concinunt.

Venio nunc ad fabulas quasdam, quae quamquam et eae similitudinem apertam et dilucidam et rerum et uerborum praebent, tamen in ipsa narrandi ratione et

* His iam typis mandatis inuenio Crusium quum (Babr. aet. pag. 150 adn. 2) uerbum ἕλκειν interpretari uellet, uersum Babrii 21 cum Hom. Il. XXIV, 15 comparauisse.

in argumentis afferendis non ab omni parte inter se consentiunt. Dico fabulas Phaedr. I, 1 = Babr. 89; Phaedr. IV, 13 = Babr. 102; Phaedr. App. 21 = Babr. 29. De origine fabularum communi haec satis testantur:

Phaedr. I, 1, 4: Latro incitatus iurgii causam intulit =
Babr. 89, 3: ἔγκλημα δ'ἔχθρας εὐπρόσωπον ἐζήτει.

Phaedr. IV, 13, 4: Cum se ferarum regem fecisset Leo
Et aequitatis uellet famam consequi,
A pristina deflexit consuetudine etc. =
Babr. 102, 1: Λέων τις ἐβασίλευεν οὐχὶ θυμώδης
οὐδ'ὠμὸς οὐδὲ πάντα τῇ βίῃ χαίρων,
πρᾷος δὲ καὶ δίκαιος ὥς τις ἀνθρώπων.

Phaedr. App. 21, 1: Equum et quadrigam multis palmis nobilem
Abegit quidam, et in pistrinum uendidit =
Babr. 29, 1: Γέρων ποθ'ἵππος εἰς ἀλητὸν ἐπράθη.

In aliis autem rebus haud paucis inter se discordant auctores. Quod attinet ad fabulam illam illustrissimam et pulcherrimam, quae de lupo et agno narratur, in hac quidem perlegenda et explicanda multum et diu haesitemus necesse est. Fabula Babriana 89 formam antiquiorem exhibitam esse statuere nobis necesse erit, si iis uiris doctis ut Haveto, Vandaele, aliis (cf. Vandaele »Qua mente Phaeder fabellas scripserit» pag. 33) assentiemur, qui uolunt fabulam, qualis apud Phaedrum legitur, ad Seianum delatoresque eius transferri. Quam si acceperimus sententiam, facile conici poterit fabulam a poeta corruptam esse. Sed pro uirili parte crediderim Phaedrum etiamsi hanc fabulam de Seiano amicisque eius intellegi uoluerit, tamen exemplar Aesopeum eandem prorsus narrationem exhibens latine uertere. Si enim fabulas Babrianam et Phaedrianam cum iis fabu-

lis comparauerimus, quae leguntur in collectione Halmiana 274 et 274^b, duas fabulae formas fuisse uidebimus. Nam Halm. 274 cum Babriana congruit, 274^b cum Phaedriana. Quoniam igitur forma fabulae Phaedrianae graeca subest, non potest a Phaedro corrupta esse. Quaestio igitur est utram recensionem antiquiorem esse censeamus. Si ipsam rationem fabularum narrandarum considerauerimus, apparebit rem, quae maximi est momenti, quum a Babrio et auctore fabulae Halmianae 274 omissa sit, a Phaedro et Halm. 274^b in ipso initio fabulae positam esse. Quod apud Phaedrum lupus dicit agnum, quum inferior in ripa staret, turbulentam sibi fecisse aquam, id mihi uidetur quasi caput totius fabulae esse, quod quum omiserit fabula Babriana, non potest formam antiquiorem nobis exprimere. His causis adductus credo Phaedrum formam fabulae uere Aesopeae attulisse, neque satis scio an fabula Halmiana 274, quum mera uideatur paraphrasis esse Babrianae, nihil huic sententiae resistere possit.

Aliter se res habet in fabula, quae est de leone regnante, quam non dubito quin recte ex exemplari Aesopeo transtulerit Babrius. Omnia enim aptissime congruunt cum iis, quae auctores antiqui alii de pace illa ferarum praebent (locos, ubi occurrit fabula, in editione Babriana Crusii pag. 92 inuenias) et modo uere Aesopeo tota narratio ad uerba illa leporis in exitu posita dirigitur. Phaedrus quum castigandi studio adductus leoni, qui hac fabula inducitur, Seianum subintelligi uellet, argumentum Aesopeum corrupit, ut ex narratione Romuli III, 20 uidere possumus, quoniam ipsa fabula Phaedriana mutila exstat.

Difficilius est de fabula, quae apud Phaedrum est »Equus abactus», uerum eruere. Ea enim, qualis hodie apud Babrium legitur, mutila exstat. Sed ex ea, quae in paraphrasi Bodleiana inest, haud dubie colligitur fabu-

lam, etiamsi integra nobis esset seruata, tamen truncam, ut ita dicam, a Babrio ex fonte translatam esse. Si enim cum fabula Phaedriana App. 21 et cum ea, quae apud Halm. 174[b] legitur, eam comparauerimus, facile uidebimus nec Babrianam nec Phaedrianam narrationem fontis communis accurate exprimere. Quoniam enim quod apud Phaedrum fur, non dominus equum ex quadriga abigit, id haud dubie aut Seianum aut inimicum alium poëtae respicit, apparet Phaedrum quum fabulam de se ipso a Seiano uiolato intelligi uellet, haud pauca mutasse. Crusius (ed. pag. 32) recte animaduertit Babrium quum fabulam ad prouerbium »ἵππου γῆρας» accommodare conaretur, apophthegmatum in modum eam decurtauisse. Similes fabulas, quae ad prouerbiorum similitudinem propius accedunt, legimus Babrii 8, 14, 54. Quae quum ita sint, potius crediderim fabulam, quae est Halm. 174[b], formam Aesopeam exprimere, quamquam nihil hac in re pro certo affirmare licet.

Transeo nunc ad fabulas Phaedrianas IV, 3 = Babr. 19 et Phaedr. App. 24 = Babr. 3, quae apud Phaedrum, quales in codicibus leguntur, narratione ualde contracta exstant. Eundem tamen earum fuisse fontem atque Babrianarum haec satis comprobant:

Phaedr. IV, 3, 1: Fame coacta Vulpes alta in uinea
Vuam adpetebat summis saliens uiribus =
Babr. 19, 1: Βότρυς μελαίνης ἀμπέλου παρωρείῃ
ἀπεκρέμαντο. τοὺς δὲ ποικίλη πλήρεις
ἰδοῦσα κερδὼ πολλάκις μὲν ὡρμήθη
πηδῶσα ποσσὶ πορφυρῆς θιγεῖν ὥρης.

Phaedr. App. 24, 4: Quamuis indigne laesa reticebo tamen;
Sed res clamabit ipsa quid delique-
ris. =
Babr. 3, 11: τὸ κέρας κέκραγε, κ'ἂν ἐγὼ σιωπήσω.

Iam igitur ex hac re colligere licet nullius momenti esse quod fabulae apud Phaedrum breuiores exstant. De fabula, quae est de uulpe, moneri potest eam in quarto Phaedri libro exstare, ubi uiam liberiorem secutus est. Ceterum ex fonte uere Aesopeo etiam Phaedri fabulam haustam esse id satis comprobat, quod cum fabula Halm. 33 quum in aliis tum ea in re congruit, quod utraque uulpem esurientem inducit; cf. fab. Halm. 33: λιμώττουσα = Phaedr. IV, 3, 1: fame coacta. A Babrio id praetermissum est, quamquam ex fabulis Phaedri et Halm. 33 hac in re inter se congruentibus concludendum est id in sylloge Aesopea antiquissima lectum esse.

Quod autem ea, quae de pastore et capella narratur, apud Phaedrum tam breuis exstat, id uereor ut ipsi poetae ascribendum sit, quum appareat eam a librariis esse corruptam. Nam et dure peruerseque incipit fabula, et in uersu tertio »inquit» deesse Havetus recte animaduertit, unde conclusit aliquot capellae uerba ante uersum tertium excidisse. Babrii autem eiusdem argumenti expositio optime cum Halm. 17 congruit, ut satis appareat fabulas inter se quodam modo cohaerere et ad eandem fere originem referendas esse: cf. exitum fab. Halm. 17: τὸ κέρας κεκράξεται, κἂν ἐγὼ σιωπήσω = Babr.: τὸ κέρας κέκραγε, κἂν ἐγὼ σιωπήσω. Quae quum ita sint, harum fabularum formas uere Aesopeas apud Babrium exstare credo statui posse.

Venio nunc ad fabulas, quae quamquam argumentum idem, eandem narrandi rationem praebent, in eo tamen ab auctoribus diuerse tractatae sunt, quod personas fabularum non easdem exhibent. Sunt: Phaedr. I, 5 = Babr. 67; Phaedr. IV, 10 = Babr. 66; Phaedr. App. 28 = Babr. 50. Exemplaribus harum fabularum Aesopeis haec sine dubio debentur:

Phaedr. I, 5, 6: Sic est locutus partibus factis leo:
Ego primam tollo, nominor quia rex,
mea est. =

Babr. 67, 4: ὁ λέων μερίζει καὶ τίθησι τρεῖς μοίρας,
καί „τὴν μὲν αὐτός", φησί, „λήψομαι πρώτην·
βασιλεὺς γάρ εἰμι . . . . . ."

Phaedr. IV, 10, 4: Hac re uidere nostra mala non possumus,
Alii simul delinquunt, censores sumus. =

Babr. 66, 7: διό μοι δοκοῦσι συμφορὰς μὲν ἀλλήλων
βλέπειν ἀκριβῶς, ἀγνοεῖν δὲ τὰς οἴκοι.

Phaedr. App. 28, 3: Per te oro superos . . . . . .
Ne me indices . . . . . .

Babr. 50, 3: . . . . . πρὸς θεῶν σε σωτήρων
. . . . . μή με μηνύσῃς.

Quod in fabula, quae est Babr. 67 = Phaedr. I, 5 Babrius in narratione incipienda »ἐκοινώνουν» habet, Phaedrus »Socii fuere», cuius rei mentio in fabula Halm. 258 deest, id haud dubie in fonte utriusque auctoris Aesopeo lectum esse censeo. Eodem modo ad fontem Aesopeum pertinere censeo quod Babrius in uersu 2 profert: ἀλκῇ μὲν ὁ λέων, ὁ δ'ὄνος ἐν ποσὶν κρείσσων = Halm. 258: ὁ μὲν λέων διὰ τῆς δυνάμεως, ὁ δὲ ὄναγρος διὰ τῆς ἐν ποσὶ ταχύτητος. Ceterum quod in hac fabula, qualem eam in sylloge Aesopea antiquissima lectam esse uerisimile est, de societate ferarum scriptum erat, id credo ab auctore fab. Halm. 259 ad argumentum Aesopeum aliud haud satis apte translatum esse. Si enim Halm. 259 cum Phaedri I, 11 comparauerimus, apparebit hoc quidem loco non de societate ulla agi, sed asinus dicitur comes fuisse leonis, neque praedae

particeps fuisse uidetur. Leo solus praedam excipit. Quae quum ita sint, uitio credo societatem ferarum, quae est in Babr. 67 = Phaedr. I, 5, in fabulam Halm. 259 translatam esse. Quod Phaedrus fabula I, 5 quattuor personas inducit, Babrius fabula 67 duas, non dubito quin recte coniecerit Havetus Phaedrum numerum personarum fabulae societati nescio cui romanae quattuor personarum aequare uoluisse, ut tecte inimicos suos ipsius castigaret. Ceterum ineptissime haec animalia sibi sumpsisse uideretur, de quibus, ut in editione Schwabii I, pag. 318 inueni, iam Lessingius haec: »Die Kuh, inquit, die Ziege, das Schaaf, der Löwe, welch ein Gesellschaft! Und wie war es möglich, dass sich diese vier zu einem Zweck vereinigen konnten. Und noch gar zur Jagd», nisi eum hoc modo ipsam naturam hominum, qui his animalibus subintelligendi essent, exprimere uoluisse nobis conicere liceret. Multo melius fabulae Babr. 67 et Halm. 258 leonem inducunt et asinum siluestrem, de quo Schwabius pag. 318 argumentis nescio quibus nisus dicit constare »eum quum praedam siluestrem appetere, tum carnibus uesci». His igitur causis adductus dubium non esse censeo quin narratio Babriana formam fabulae uere Aesopeae exprimat.

Transeo ad fabulam, quae est de duabus peris hominibus impositis, de qua id animaduersum uelim solam esse eam narratiunculam (cf. Havet. pag. 254), quae Phaedri et Babrii communis est. Tamen ea ex re colligere non licet narratiuncularum numerum in Aesopeis collectionibus antiquis paruum fuisse, quoniam alii quoque auctores narratiunculas praebent, quae haud dubie ex Aesopo sumptae esse uidentur. Hac igitur excepta omnes fabulae Babrii et Phaedri communes apologi sunt. Nec de hac satis consentiunt. Babrius enim Prometheum, Phaedrus Iouem hominibus peras imponentem facit.

Fabula soluto sermone prolata, quae apud Halm. 359 est, deorum munere omisso incipit: »ἀνθρώπων ἕκαστος δύο πέρας φέρει.» Sed id ipsum, quod et in Babriana et in Phaedriana fabulis deus peras hominibus imponens inducitur, declarat id etiam in fonte utriusque Aesopeo lectum esse. Dissensio enim auctorum in dei nomine afferendo tota in eo posita esse potest, quod in exemplari antiquissimo Aesopeo pro nomine dei solum »ὁ θεός» legebatur, ut habet ipse Babrius 2, 12. Quod in fabula Babrii Prometheus θεῶν τῶν πρώτων dicitur esse, recte monuit Crusius (de Babr. aet. pag. 234, adn. 2) eum »unum ex Titanibus» ante regimen Iouis mundum gubernantibus esse, quam ob rem reiciendam esse Hartungii coniecturam legentis: ἀλλ'οὐ τῶν πρώτων.

In fabula, quae apud Phaedrum inscribitur »Lupus et bubulcus», exigenda necesse erit diu haesitemus. Phaedrus personas habet: lupum, bubulcum, uenatorem; Babrius: uulpem, lignarium, uenatorem. Si fabulas soluta oratione scriptas, quae apud Halm. 35 et 35^{b} sunt, inspexerimus, inueniemus duas fabulas similis argumenti esse, quarum 35 ad fabulam Babrianam quam proxime accedit, quamquam eam paraphrasin esse Babrianae ea causa iure negandum esse censeo, quod uulpem ἐν τῇ καλύβῃ latentem a ceteris eiusdem argumenti fabulis abhorrens facit. Quod attinet ad 35^{b}, origine eam priorem quam 35 esse contendo, nec dubito quin ad exemplar, quod erat in sylloge Aesopea primigenia, propius quam aut Phaedriana aut Babriana aut Halm. 35 accedat. Quod enim in fine fabulae uulpes inducitur sententiam moralem afferens hanc: ὡς δειλὸς ἄρα καὶ πονηρὸς ἦσθα, δειλὸς μὲν πρὸς λέοντας, πονηρὸς δὲ εἰς ἐλάφους», id de origine uere Aesopea testatur, quum satis constare uideatur uulpem fabulae uetustissimae Aesopeae »κορυφαῖον» esse (cf. A. Hausrath, Das Problem

der Aesopischen Fabel, pag. 308). Quae quum ita sint, credo rem eo modo se habere, ut fabula Halm. 35 aut ad ipsam 35[b] aut ad exemplar fabulae 35[b] ficta sit; id eo probabilius mihi uidetur esse, quod 35 similitudinem praebet exercitationis, quales in ludis fiebant narrandi et scribendi. Postea autem facile fieri potuit ut in partem manu scriptorum collectionum Aesopearum irreperet; quorum unum ante oculos habuisse Phaedrum credo. Qui quum duas fabulas eiusdem fere argumenti uideret, in unam eas confundere conatus personis partim e fabula 35, partim e 35[b] sumptis narrationem Halmianae fabulae 35 secutus est: bubulcus = ποιμήν· lupus = ἀλώπηξ· uepres = δρυμός.

Venio nunc ad fabulas Phaedr. I, 3 = Babr. 72 et Phaedr. IV, 2 = Babr. 17; in quibus afferendis quam maxime inter se dissentiunt auctores. De fabula, quae apud Babrium est 72, apud Phaedrum I, 3, difficillimum est statuere qualis in Aesopea sylloge lecta sit, quoniam, quot sunt auctores, tot fere etiam fabulae narrandae rationes. Si autem narrationes Babrii et Phaedri cum fabulis Halm. 200, 200[b], 201, 201[b], comparauerimus, uidebimus omnes has fabulas inter se coniunctas esse ita, ut Phaedri fabula medium, ut ita dicam, locum inter Babr. 72, Halm. 200, 200[b] et Halm. 201, 201[b] obtineat. Quoniam igitur nullum exemplar graecum exstat, ad quod fabula Phaedri recte referri possit, eiusque argumentum ex fabulis Halm. 200 et 201 inter se confusis ortum esse uidetur, audacius mihi non uidetur esse statuere narrationem Phaedri formam uere Aesopeam exprimere non posse. Phaedrus enim quum ex fabula, cuius argumentum proferunt Babr. 72, Halm. 200, 200[b], id solum sibi sumpsisset, quod graculus pennas auium sustulisse iisque se ornauisse dicitur, cetera omnia ex argumento fabulae Halm. 201 hausit, quibus narratur

graculus pauonum gregi se immiscuisse, deinde ab illis fugatus quum ad suos redire uellet, etiam ab iis repulsam tulisse. Sequitur ut de narratione Babrii quaeramus. Ad rem diiudicatu difficiliorem faciendam multum ualet quod Babr. 72 magnam cum fabulis aliis eiusdem auctoris quibusdam similitudinem praebet, quas tamen omnes ad fabulae 72 formam fictas esse crediderim. Dico fabulas Babrii 65, 101, 137, 139 (editionis Crusii), quae haud dubie a rhetoribus ad formam primigeniam, quae fabulae Babrianae 72 subest, fictae sunt. Atque ipsam fabulam 72 ad praecepta rhetorum conscriptam uel a Babrio renouatam esse ad concludendum eam ob rem quam maxime inclinarem, quod iusto copiosior est, nisi aliunde conicere liceret in sylloge Aesopea antiquissima narrationes aliquas a breuitate usitata abhorruisse, ut uidimus in fab. Phaedr. IV, 6 = Babr. 31. Negari non potest in fab. Babr. 72 multa inesse, quae de rhetorum dicendi ratione monent, ut uers. 5: »ἔσταζε πέτρης αἰγὶ δυσβάτου κρήνη» quo de loco consulenda sunt, quae scripsit Hausrathius l. l. pag. 315. Fabulam tamen ex ipsa sylloge Aesopea haustam esse pro certo affirmauerim eiusque rei argumentum certissimum mihi uidetur esse, quod fabularum Halm. 200 et 200^{b} narrationes, quamquam paulo simpliciores et breuiores proferuntur, tamen in iis, quae summam continent, cum fabula Babrii congruunt. Puriorem formam credo Halm. 200 exhibitam esse, quoniam 200^{b} ad argumentum illud, quo animalium rex constitueretur (cf. Hausrath. l. l. pag. 318), accommodata esse uidetur. Babrii fabula ab Halm. 200 ea sola re abhorret, quod pro Mercurio fabulae 200 Babrius Iridem inducit. His igitur causis adductus statuo Babrium minutiis nonnullis exceptis fabulam recte ex sylloge Aesopea transtulisse.

Quod attinet ad fabulam, quae apud Phaedrum de mustela et mure, apud Babrium de fele et auibus narratur, etiam eam a Babrio admodum accurate e sylloge Aesopea redditam esse ea ex re concludo, quod Halm. 15 fabula exstat, quae in omnibus fere rebus cum Babriana congruit ea sola excepta, quod pro auibus mures introducuntur. Accedit quod auctore Crusio (ed. pag. 22) apud Apostolium XVIII, 61 eadem fere narratio exhibetur. His satis dilucide mihi uidetur comprobatum esse fabulam IV, 2, quae est de mustela et mure, a Phaedro corruptam esse. Atque re uera si eam paulo diligentius perspexerimus, apparebit Phaedrum studio et irae hoc loco se dedisse. A uiris doctis diuersae de fabula proferuntur sententiae. Guyetus, ut apud Burmannum pag. 212 inuenio, Tiberium Capreis commorantem intelligit. Melius Burmannus ipse de »exploratore quodam et emissario Tiberii uel Seiani, qui negligenter et quasi nihil mali moliens uersans Romae exitio multis incautis esset», cogitauit. Id quoque monendum est fabulam Phaedri in libro quarto locum habere, ubi iam in argumentis Aesopeis latine transferendis negligentius uersabatur. Ceterum haec sola uidetur esse fabula et Babrii et Phaedri communis, quae adnumeranda est tertio illi generi fabularum Aesopearum, quo res mirabiles ex uita animalium sumptae prodigiorum fere loco proferuntur.

Hae omnes fabulae, in quibus tractandis adhuc uersati sumus, hodie quoque in codicibus Phaedrianis et Babrianis exstant, quibus satis disquisitis ad communem quandam fontium originem trahunt Babrius et Phaedrus. Sed non dubium est quin, si codices fabularum librorum Babrii et Phaedri integri exstarent, multo plures eius generis fabulae legerentur. Quamquam autem manci ad nos peruenerunt, tamen haud paucae restant fabulae,

de quibus pro certo affirmare licet eas Phaedro cum Babrio communes fuisse et ab utroque auctore ex sylloge Aesopea quadam antiqua translatas esse. Si enim paraphrastas Phaedrianos, quos collegit Hervieux (Les fabulistes latins), perscrutati erimus, has quoque inueniemus fabulas Babrianas etiam a Phaedro allatas esse: Babr. 25 = Rom. II, 9; Babr. 38 = Rom. III, 14; Babr. 78 = Rom. I, 18; Babr. 82 = Rom. I, 17; Babr. 84 = Rom. IV, 18; Babr. 93 = Rom. III, 13; Babr. 103 = Rom. IV, 12; Babr. 107 = Rom. I, 17; Babr. 108 = Rom. I, 12; Babr. 121 = Rom. IV, 15; Babr. 131 = Rom. I, 16; Babr. 137 = Rom. IV, 19.

Quamquam in Phaedri fabulis transferendis multa, quae in ipso genere narrandi posita erant, mutabant paraphrastae, tamen quum uersus soluerent, et sententiam plerumque fabularum et personas a Phaedro introductas et ordinem rerum factorumque retinebant, ut etiam nunc ex iis, quae his paraphrasibus nobis seruata sunt »disiecta membra poetae», perspici possit quomodo has fabulas narrauerit Phaedrus. Multa uestigia Aesopeae narrandi rationis ex Phaedro transtulerunt paraphrastae, ut etiam inter narrationes eorum et fabulas Babrianas ex Aesopo sumptas aperta et dilucida similitudo intercedat. Vt rem clariorem faciam, iam ad exempla afferenda transgredior.

Rom. II, 9: Cum strepitus magnus ad lepores ueniret subitus, consilium simul fecerunt ut se praecipitarent propter assiduos metus. Venerunt ad oram fluminis, ubi ranae multae erant. At ubi uenit agmen leporum, expauerunt ranae et in fluuium se iactauerunt. Lepores quum haec uiderent, unus illorum: Sunt, inquit, et alii timentes; sequamur uitam, ut ceteri, feramus, si quid

acciderit, neque enim erit toto tempore malum. =

Babr. 25: Γνώμη λαγωοὺς εἶχε μηκέτι ζῴειν,
πάντας δὲ λίμνης εἰς μέλαν πεσεῖν ὕδωρ,
ὅθοὕνεκ' εἰσὶν ἀδρανέστατοι ζῴων
ψυχάς τ'ἄτολμοι, μοῦνον εἰδότες φεύγειν.
ἐπεὶ δὲ λίμνης ἐγγὺς ἦσαν εὐρείης
καὶ βατράχων ὅμιλον εἶδον ἀκταίων
βαθέην ἐς ἰλὺν ὀκλαδιστὶ πηδώντων,
ἐπεστάθησαν, καί τις εἶπε θαρσήσας·
»ἄψ νῦν ἴωμεν. οὐκέτι χρεὼν θνήσκειν·
ὁρῶ γὰρ ἄλλους ἀσθενεστέρους ἥμων.»

*Rom. I, 18: Qui cum ualeres, diuum delubra omnia
Vastasti et cuncta polluisti altaria,
Quid effecturas iam preces credis meas? =

Babr. 78, 4—5: »καὶ τίς σε, τέκνον», φησί, »τῶν θεῶν σώσει;
τίνος γὰρ ὑπὸ σοῦ βωμὸς οὐκ ἐσυλήθη;»

Rom. I, 17: Dormiente leone in silua, mures agrarii luxuriantes, mus ex illis super leonem non uoluntarie transiit. =

Babr. 82, 1: Κοιμωμένου λέοντος ἀγρίης χαίτης
διέδραμεν μῦς κ. τ. λ.

Rom. IV, 18: Pulex uero statim se ante pedes cameli excussit, et sic dixisse fertur: Bene feci, inquit, parcens, ne te diutius grauarem. Et camelus ad pulicem sic ait: Gratias ago, sed nec te imposito grauatus sum, nec nunc deposito releuatus. =

Babr. 84, 3: »εἴ σου βαρύνω τὸν τένοντα καὶ κλίνω,
καθεδοῦμ' ἀπελθὼν ποταμίης ἐπ' αἰγείρου.»

*) Quoniam quum hanc fabulam a Phaedro tractatam esse inueni, Romulum ipsum mihi adire iam non licuit, ad fabulam a Luciano Muellero (Phaedr. p. 88) uersibus expressam confugi.

δ δ' »οὐ μέλει μοι», φησίν, »οὔτ' ἐὰν μείνῃς,
οὔτ' ἢν ἀπέλθῃς· οὐδ' ὅτ' ἦλθες ἐγνώκειν.»

Rom. III, 13: Tunc lupi legatos mittunt pacem petentes iurando, si canes obsides darent etc. =

Babr. 93, 1: Λύκων παρῆσαν ἄγγελοί ποτ' εἰς ποίμνην
ὅρκους φέροντες καὶ βέβαιον εἰρήνην,
ἐφ'ᾧ λάβωσι τοὺς κύνας πρὸς αἰκίην.

Rom. IV, 12: Quoniam uideo introeuntium uestigia, exeuntium non uideo. =

Babr. 103, 18: πολλῶν γὰρ ἴχνη θηρίων με κωλύει,
ὧν ἐξιόντων οὐκ ἔχεις ὅ μοι δείξεις.

Rom. I, 12: Ille agrarius e contra: Tu fruere, inquit, istis omnibus, qui nec times, nec pauescis, nec te turbatio quotidiana terret. Ego uero fruar bonis in agro, ubi, quocumque lactus, nullus me terret timor, nulla perturbatio corporis. =

Babr. 108, 27: . . . . . μῦς δ'ἀρουρίτης
»τοιαῦτα δειπνῶν» εἶπε »χαῖρε καὶ πλούτει,
καὶ τοῖς περισσοῖς αὐτὸς ἐντρύφα δείπνοις,
ἔχων τὰ πολλὰ ταῦτα μεστὰ κινδύνων.
ἐγὼ δὲ λιτῆς οὐκ ἀφέξομαι βώλου,
ὑφ'ἣν τὰ κρίμνα μὴ φοβούμενος τρώγω.»

Rom. I, 16: Occurrit uelocius, clamans prosiliuit; leuans pedes priores, imposuit ambobus humeris domino. =

Babr. 131, 13: . . . . . ἦλθεν ἄμετρα λακτίζων.
σαίνων δ'ὁποῖα καὶ θέλων περισκαίρειν
. . . . . .
δειπνοῦντα δ'ἰθὺς ἦλθε δεσπότην κύσσων
νώτοις ἐπεμβάς . . . . . .

Rom. IV, 19: Quid faciebas, inquit, in aestate? At illa: non mihi uacabat: oberrabam cantando =

Babr. 137, 5: »τί οὖν ἐποίεις», φησί, »τῷ θέρει τούτῳ;» »οὐκ ἐσχόλαζον, ἀλλὰ διετέλουν ᾄδων.»

His allatis exemplis satis credo elucere et Phaedrum, cuius uerba prosa oratione transscripsit Romulus, et Babrium in his fabulis componendis Aesopeam syllogen antiquam adhibuisse. Vt autem in fabulis, quas supra tractaui, uersibus includendis iam hic iam ille auctor propius ad fontis communis narrandi rationem accedere uidebatur, ita etiam in his eadem res inuestigari potest. Vt in fabulis Babr. 25 = Rom. II, 9; Babr. 103 = Rom. IV, 12; Babr. 108 = Rom. I, 12; Babr. 131 = Rom. I, 16; Babr. 137 = Rom. IV, 19 in omnibus fere rebus inter se consentiunt narrationes, nisi quod fabula 103 plenior et longior est quam Rom. IV, 12; quod nescio an ita optime explicetur, ut eam e narratione Aesopea primigenia extenderit Babrius. Nam ex ipsa fabulae natura uideri potest eam ad compendium Aesopeum illud antiquissimum pertinuisse philosophiae moralis ac uulgaris, »quod non nisi ad docendos homines ira nulla, nullo studio scriptum breues et nudas narrationes exhibuisse» (Vandaele, Qua mente Phaeder fabellas scripserit, pag. 32 adn.) uerisimillimum est. De personis fabularum inter se discrepant auctores in Babr. 38 = Rom. III, 14; Babr. 78 = Rom. I, 18; Babr. 84 = Rom. IV, 18; Babr. 121 = Rom. IV, 15.

In fabula Rom. III, 14 lignarius ab arboribus petit ut sibi manubrium securi aptandum darent, quod esset firmissimum. Postea manubrio securi aptato ipsas arbores caedere coepit. Apud Babrium lignarii in pinum cuneos et ipsos ex pinu factos adigunt. Fabulae Babr. 78: coruus = Rom. I, 18: miluus; et Babr. 84: κέρατι

καμπύλῳ = Rom. IV, 18: in sarcina; et Babr. 84: ταῦρος = Rom. IV, 18: camelus; et Babr. 121: ὄρνις = Rom. IV, 15: asinus; et Babr. 121: αἴλουρος = Rom. IV, 15: lupus; sed his minutiis exceptis in omnibus ceteris rebus inter se concinunt.

Fabulam illam, quae de ouibus et lupis bellum inter se gerentibus narratur, nec Babrium nec Phaedrum integram ex Aesopeo exemplari transtulisse apparet. Quod enim Babrius arietem senem oues monentem inducit neque canes in fabula eius re uera lupis deduntur, id et fabulis Halmianis 268 et 268[b] et fabulae, quam habet Nicolaus sophista (Rhet. I 267 W.) eiusdem argumenti, repugnat, neque recte se habet, quod apud Romulum oues pro canibus deditis catulos luporum obsides accepisse dicuntur. Id enim a Phaedro inuentum est, ut causam haberent lupi foederis rumpendi, quum ululatus catulorum audirent. Quae quum ita sint, non dubito statuere formam fabulae primigeniam fabulis Halm. 268 et 268[b] contineri, quae etiam in omnibus rebus cum narratione Nicolai congruunt.

Transeo ad argumentum illud antiquum, quod de leone ex somno expergefacto et mure apud Romulum I, 17 exhibetur, apud Babrium in duabus fabulis tractatur 82 et 107. Quum enim de eadem fere re et in Babr. 82 et 107 agatur, et Babr. 82 ab eisdem plane uerbis atque Rom. I, 17 et Halm. 256 incipiat (nam Halm. 257 tantum paraphrasin Babr. 82 esse pro uirili parte crediderim), Babr. 107 autem in ipso argumento afferendo cum Rom. I, 17 et Halm. 256 congruat, mihi non dubium uidetur esse quin ad eandem originem et Babr. 82 et 107 referendae sint. Duas fabulas ex una primigenia hoc modo factas esse et e contrario duas una comprehensas fabulatorum semper proprium erit, neque eam ob rem, quod duae exstant argumenti

expositiones, necesse est negare fabulam Babr. 82 ad fontem Aesopeum pertinere; quamquam ea, quae leo in fine fabulae uulpi se irridenti respondet, aliquantum de apophthegmatis illis et iocis uel de Sybariticis illis dictis, quae a mythis, qui dicuntur, Aesopeis diligenter secernenda esse monuerunt uiri docti, testari mihi uidentur. Sed tamen non necesse est statuere Babrium duas ex una Aesopea fabulas fecisse. Si enim concedimus Babrium fabulam Aesopeam ita extendisse, ut narratione illa, quam habet de uulpe leonem irridente, addita deinceps fabulae 107 narratio continuo sequeretur, facile fieri potuit ut librarii, qua erant incuria transscribendi, fabulis Babrianis secundum alphabetum dispositis narrationem longam, quae erat de leone et mure, in duas diuiderent. Sed utut est, ex iis, quae iam disputaui, apparere credo Phaedrum formam Aesopeam fabulae accurate reddidisse. Has igitur omnes fabulas Babrianas, quae paraphraseon Phaedrianarum testimonio a principio etiam in libello Phaedri exstiterint, uere Aesopeas esse pro certo contendere nobis licet.

Ex iis, quae adhuc disputaui, id credo effectum esse, ut fabulis Phaedrianis et Babrianis inter se comparatis ad fontem utriusque auctoris Aesopeum, quo fundamentum quoddam antiquissimae aetatis omnium collectionum Aesopearum commune continebatur, fabulae numero 32 referrentur. Sed fabulas argumenta Aesopea proferentes in libro priore Babrii omnes a principio lectas esse et in eo rursus reponendas a prooemio I colligi posse Crusius in encyclopaedia Pauly-Wissowae II 2658 sqq. breuiter monuit et ex iis, quae supra dicta sunt, apparere credo. Quae quum ita sint, hae imprimis fabulae ad librum priorem pertinere uidentur: 3, 17, 19, 22, 24, 25, 27, 28, 29, 31. 38, 43, 50, 66, 67, 72, 77, 78, 79, 82, 84, 89, 93, 94, 99, 102, 103, 107,

108, 121, 131, 137. Apud Phaedrum earum longe plures, ut exspectari potest, in primo libro leguntur, quae in posterioribus occurrunt, haud raro ad usum suum ipsius conuertit, mutauit. Si has 32 fabulas diligentius perspexerimus, apparebit longe maiorem earum partem primo illi generi Hausrathii fabularum Aesopearum ascribendam esse ut 19, 25, 28, 31, 38, 43, 66, 77, 79, 137; aliquanto pauciores secundo ut 3, 22, 24, 27, 29, 50; unam solam fab. 17 tertio generi.

Havetus in editione pag. 254 scite distinguit inter apologos et narratiunculas. Apologos appellat, in quibus hominum loco inducuntur animalia, arbores, similia; narratiunculas, in quibus ipsi homines in scenam prodeunt. Eadem pagina § 148 contendit Phaedrum in fonte Aesopeo solos apologos inuenisse. Quod quomodo se habeat ex iis, quae supra disputata sunt, apparere credo. Id quidem non dubium est quin apologos multo plures quam narratiunculas et Babrius et Phaedrus in Aesopea sylloge inuenerint, sed etiam narratiunculas etsi numero paucas ibi lectas esse satis demonstrat Phaedr. II, 2 = Babr. 22, quae fabula quo modo ab apologo parum discrepet (ut dicit Havet pag. 255) intelligi non potest. Ceterae fabulae omnes supra tractatae apologorum numero addendae sunt.

Quod ad animalia, quae inducuntur, attinet, uulpes et lupus in his fabulis primarias agunt partes, sicut etiam de fabula Aesopea animaduertit Schwabius proleg. pag. 19 et post eum Hausrathius l. l. pag. 308. Vulpes ratiocinatione callidissima coruum caseo fraudat, uuam non contingens ipsa facile se consolatur, leonis aegri dolum acute perspicit. Lupus plerumque una cum oue aut cane introducitur. De ceteris animalibus maxime animaduertendum est quod in quibus fabulis apud Phaedrum mustela inducitur, in iis fabula 27 sola excepta

apud Babrium feles; quam ad discrepantiam explanandam satis erit Kelleri obseruationem (über die Geschichte der griechischen Fabel, pag. 392) proferre: »Früher hatten die Griechen nur das Wiesel zum Wegfangen von Mäusen, Eidechsen, Schlangen u. dgl. als Hausthier gehalten; bei Babrios ist die Katze eben im Begriff, neben dem Wiesel in den Dienst des Menschen einzutreten: noch ist sie halbwild und für das Federvieh sehr gefährlich». Quam Kelleri sententiam tamen impugnat Crusius, quum (Babr. aet. p. 151 sqq.) animaduertit homines antiquos mustelam, melem felemque inter se confudisse. Babrius autem cur in eodem animali significando duo nomina adhiberet intelligi non potest. Ceterum felem fabulatoribus non ignotam fuisse inde uidere licet, quod Phaedrus in fabulis duobus non Aesopeis, quibus exemplaria graeca subesse censendum est, II, 4 et App. 16 (Havet) quacum conferas Aelian. nat. an. V, 50, l. 38 (Hercher), felem haud dubie ipsam induxit. Ex iis, quae iam dicta sunt, intelligitur Phaedrum recte mustelam ex Aesopea sylloge transtulisse.

Longe plures fabularum, quae supra tractatae sunt, identidem apud auctores antiquos et graecos et latinos recurrunt, unde colligere licet et collectiones fabularum Aesopearum in antiquitate ualde percrebruisse et has potissimum fabulas quum legerentur, animos lectorum delectauisse. Vt in commentario editionis Crusii inuenio Babr. 22 etiam apud Diodorum (frg. Vat. XXXIII, 7, pag. 72 Dd) et Doxopatrum rhetorem (W. II pag. 189) lectam esse. Doxopatrus paucis uerbis eius mentionem facit ita quidem, ut facile appareat eum putauisse argumentum lectoribus notissimum esse. In encyclopaedia Pauly-Wissowae II, 2662 eos auctorum antiquorum locos, ubi argumenta fab. Babr. 22, 31, 50,

66, 94, 102, 103 occurrunt, Crusius collegit et notauit. Ad ea, quae attulit, addere uelim praeter locos Aristotelis et Theocriti etiam duos Horatii uersus de argumento illo fab. Babr. 102 commemorare. Non enim dubium est quin de tranquillo illo rerum statu, qui argumento Aesopeo describitur, accipiendi sint Epod. 16, 33: »Credula nec rauos timeant armenta leones» et Od. III, 18, 33: »Inter audaces lupus errat agnos». Etiam Virgilio argumentum eiusdem fabulae cognitum fuisse ad coniciendum inclinat animus. Facile enim ad id referri possunt Ecl. V, 59: »Nec lupus insidias pecori, nec retia ceruis ulla dolum meditantur» et Ecl. IV, 22: »Occidet et serpens et fallax herba ueneni, occidet . . . . .» Etiam a Lucilio eandem fabulam commemoratam esse in commentatione, quam scripsit Denis, pag. 32 inuenio. Fabulam illam pulcherrimam, quae est de muribus urbano et rustico, ex collectionibus Aesopeis antiquis per se quisque transtulerunt quattuor auctores, quorum narrationes ad nostram aetatem peruenerunt. De Phaedri et Babrii huius argumenti fabulis supra actum est; exstat etiam apud Horatium et Suidam, qui fragmentum fabulae uersibus dactylicis expressae attulit poetae, de quo supra monui. Fragmentum hoc est:

Θέντο μετ'ἀλλήλοισιν ἑταιρείην μύε δοιώ,
οὐ καθ'ὁμὰ ζώοντες, ὁ μὲν κατὰ νειὸν ἐρήμην
ἐτρέφεθ', ὃς δὲ δόμοισιν ἐν ἀφνειῶν τρέφετ' ἀνδρῶν.

Apud Horatium eadem fabula narratur in Sat. II, 6, 80. In hoc argumento proferendo mirum in modum omnes inter se congruunt auctores. Babrius et poeta fragm. dactylici in initio fabulae eadem fere uerba adhibent; Babr. 108, 3: ἔθεντο κοινὸν τὸν βίον πρὸς ἀλλήλους = Poet. fragm. dactyl.: θέντο μετ' ἀλλήλοισιν ἑταιρείην . . . . . Horatius et Phaedrus in eo consentiunt, quod mus rusticus apud eos non ex composito

hospitio recipit, sed fortuito in uia proficiscentem murem urbanum inuitat. Ad fontem Aesopeum utriusque haud dubie transferendum est, quod exitus fabularum Horatianae et Babrianae idem est: ἐγὼ δὲ λιτῆς οὐκ ἀφέξομαι βώλου, ὑφ'ἣν τὰ κρίμνα μὴ φοβούμενος τρώγω = Horatii: Me silua cauusque tutus ab insidiis tenui solabitur eruo. Horatium, cuius poemata fabulis fabularumue allusionibus abundant, ex libro Aesopeo simili ex quo etiam Babrium et Phaedrum multa petiuisse et in usum suum uertisse credendum est. De fabulis scriptis Horatianis immixtis scite disputauit J. Denis in commentatione »De la fable dans l'antiquité classique» pag. 32—37, quo in libro inuenio e numero fabularum Babrii iam tractatarum ab Horatio commemorari etiam Babr. 72 = Hor. Ep. I, 3, 18—20 et Babr. 77 = Hor. Ep. I, 17, 50. In poesi lyrica graecorum nunc magna ex parte deperdita multa Aesopeorum argumentorum uestigia haud dubie inueniremus, ut uel ex iis reliquiis apparet, quae ad nos peruenerunt. Ex anthologia Denis (l. l. pag. 27) haud pauca deprompsit fabularum argumenta, quorum etiam fabulae Babr. 29, quod ab Archia tractatum esse repperit.

Iam ex iis, quae supra congessi, credo apparere ea potissimum argumenta, quae communia habent Babrius et Phaedrus, in antiquitate uulgata esse. Quum autem fabulae Babrii et Phaedri, nonnumquam etiam fabulae graecae prosaicae usque ad uerborum similitudinem inter se congruentes nos credere prohibeant tantum per traditionem argumenta auctoribus cognita esse, statuamus necesse est libros illos Aesopeos in antiquitate uulgatos plerumque et in argumentis proferendis et in ratione narrandi inter se concinentes a prima pueritia ab omnibus fere lectitatos et in sermone quotidiano saepissime in usum collatos esse. Atque re uera Romae

in tabernis librariis libros Aesopi uulgo uenales prostitisse ex ipsis Phaedri scriptis nobis concludere licet. Phaedrus antequam librum IV publice edidit, in tabernis, ubi libri uenales erant, bellum murium et mustelarum tabulis pictum uidit (cf. Phaedr. IV, 6). Burmannus autem ad hunc ipsum locum (pag. 225) animaduertit morem romanorum fuisse ut et in postibus tabernarum librariarum titulos scriptorum uenalium expositos legerent et picturas, quae argumenta librorum uenalium exprimerent, in parietibus tabernarum suspensas spectarent. Ad quam sententiam illustrandam uir doctus de Martial. lib. I. Ep. 117 commemorat:

Contra Caesaris est forum taberna,
Scriptis postibus hinc et inde totis,
Omnes ut cito perlegas poëtas.

Vnde intelligitur specimina e libris uenalibus sumpta ad libros ipsos emendos allexisse. Idem autem etiam tabulas argumenta in libris tractata exponentes efficere debuisse apparet.

Supra commonui Vandaele e uerbis Phaedri eruisse paucas fuisse Aesopi fabulas, quam ob rem credendum est earum longe plures et optimas nobis non deperditas esse, sed etiam nunc scriptis Babrii et Phaedri seruatas contineri. Quum autem rationes, quibus numerum earum suppleamus, nobis reliquae sint, iam ad ceteras fonti Aesopeo ascribendas eamque ob rem in libro Babrii priore reponendas fabulas conquirendas et diligentius tractandas transgrediendum est.

Quae e mythicis a Suida allatis de fonte prioris Babrii libri erui possint.

Iam supra commonui Crusium in encyclopaedia Wissowae docuisse ad priorem libelli Babriani partem recte constituendam praeter fabulas Phaedri cum Babrio communes etiam mythica Suidae in editione ipsius pag. 215—221 collecta multum ualere. Si igitur argumenta, quae his fragmentis subsunt, examinauerimus, apparebit a poëta uel poëtis (qua de re cf. Crus. prol. XC) dactylicorum fragmentorum has Babrii fabulas tractatas esse, quod etiam Crusius numeris uncis inclusis indicauit: 16, 36, 43, 64, 66, 67, 75, 82, 86, 93, 95(?), 108, 115, 122. Quarum satis magnam partem in libro priore Babrii lectam et ex collectione nescio qua Aesopea haustam esse iam inde concludendum erat, quod etiam a Phaedro 6 harum fabularum ex fonte graeco translatae sunt. Dico: 43, 66, 67, 82, 93, 108. Restant igitur 16, 36, 64, 75, 86, 95(?), 115, 122, de quibus uideamus quo referendae sint, quibus locis auctorum graecorum aliorum occurrant, qua aetate ortae esse uideantur.

Iam supra pag. 25 ostendi, si recte coniecisset Crusius Babrium prologo II aemulis illis leuissimis poëtas fabularum dactylicarum intelligi uoluisse, iam inde sequi nulla alia quam argumenta Aesopea ab his poëtis tractata esse, quum e libro priore solo Babrii penderent. Quoniam tamen coniectura est nec pro certo probari potest, de his rebus nobis amplius est circumspiciendum. Auctores uersuum in litteris graecis satis uersatos esse ex omnibus fere concludere licet. Quantum enim ex

fragmentorum paucitate erui potest, et hexametri uersus pangendi artis satis periti fuisse (Crusius prol. pag. XCI existimat hos poëtas »Nonni quasi praenuncios fuisse») et sermone admodum puro usi esse uidentur. Latinismos equidem nullos inuenire potui. Si igitur mihi quoque coniectura facienda est, non improbabile mihi uidetur esse fragmenta ea, quae hexametris proferuntur, i. e. 1—18 editionis Crusii eo modo inter se cohaerere, ut ex magno nescio quo carmine epico a poëta rhetorum illorum posteriorum aetate florente ad similitudinem Arati Φαινομένων uel Nicandri Ἑτεροιουμένων aliorumue composito, in quo immixta occurrerent, excerpta sint. Suidas ipse dicit se ea ἐν μυθικοῖς inuenisse (cf. Crus. prol. XC), unde nescio an erui possit carmen, quod dixi, epicum, si uera sit coniectura, »μυθικά» inscriptum esse. Quod sententiae Crusii, qua statuit hos poëtas a Babrio in prooemio II impugnari, obstare tamen non necesse est, quum hac ratione forsitan melius etiam explicentur uerba Babrii, quae de imitatoribus illis habet, prooem. II, uers. 10—11:

. . . . . καὶ σοφωτέρης μούσης
γρίφοις ὁμοίας ἐκφέρουσι ποιήσεις.

γρῖφος enim idem fere est atque aenigma, quo uerbo insolita illa fabularum adhibendarum ratio significata esse possit. Crusius hoc Babrii uerbum de genere dicendi poëtarum accipit. Si ex carmine epico fragmenta excerpta esse statuimus, huic rei etiam quam maxime conuenit quod sermonis Homerici et Hesiodei peritissimus poëta exsistit (Crusius prol. XCI animaduertit poëtam »glossis epicis uocabulisque rarioribus maxime delectatum esse») neque caret generibus dicendi Callimachi, Theocriti, aliorum propriis. Si igitur rem metricam, quam Nonnianae propius quam Babrianae accedere ex iis, quae attulit Crusius prol. pag. XC et XCI, elucet,

et sermonem fragmentorum perpenderimus, necesse erit statuamus in his quidem rebus poëtas nullo modo Babrii imitatores esse, sed e contrario nulli eius temporis auctorum obnoxios esse. Quod ut ostendam, copia Stephani Thesauri, cui me exempla ex litteris graecis sumpta et plerumque etiam uerborum interpretationes debere confiteor, aliisque lexicis nisus sermonem fragmentorum examinare instituo.

Frag. 2 legitur: ἠχήεις ἐτάνυσσε βαλὼν προκάρηνον ἀήτης· »τανύω» uerbum eiusdem atque »τιταίνω» stirpis eiusdemque significationis proprie est = intendere, contendere. Sed Homerus uerbum significatione subdita expandendi, explicandi adhibet:

Od. XV, 137: . . . ξεστὴν ἐτάνυσσε τράπεζαν.

ἐτάνυσσε = κατὰ μῆκος ἐπέθηκε, sicut etiam in fragmento dactylico 2. In hoc eodem fragmento »ἠχήεις» adiectiuum (latine = sonorus, sonitum edens) legimus, quod praeter hunc locum non nisi apud Homerum occurrit, ut Il. I, 157: οὔρεα τε σκιόεντα, θάλασσά τε ἠχήεσσα. Od. IV, 72: . . . . . δώματα ἠχήεντα.

Fragm. 4 legitur: αἰπεινὴν ἐλάτην ἔρις ὤρορεν αἴσυλα φάσθαι· »αἴσυλος» adiectiuum est Homeri sermonis proprium, quod deinde usurpauit Hesiodus, significans proprie »iniquus, nefarius, flagitiosus», translate »κακός, ἄδικος», qua significatione subdita »αἴσυλος» adiectiuo opponitur αἴσιμος»:

Od. V, 9; . . . . . μηδὲ φρεσὶν αἴσιμα εἰδώς,
ἀλλ' αἰεὶ χαλεπός τ'εἴη καὶ αἴσυλα ῥέζοι.

Ceterum cum tota dictione »αἴσυλα φάσθαι» conferenda sunt Hom. Il. 202: ἠδ'αἴσυλα μυθήσασθαι.

Homerus leonis substantiui tres formas praebet: Λέων, Λείων, Λίς. Λίς forma his locis legitur: Il. XI, 239; XVII, 109; XVIII, 318. Post Homerum eandem formam adhibuerunt Hesiodus, Callimachus, Theocritus.

Poëta fragmenti dactylici 5 eandem exhibet: 'Ες βίοτον κοινωνὸς ὄνῳ γένετ' ὠμοβόρος λίς.

Quod ad totam phrasin »ὠμοβόρος λίς» attinet, uelim conferas Il. XV, 592: λείουσιν ἐοικότες ὠμοφάγουσι.

In fragmenti 9 uersu 5 haec leguntur uerba:

κέρδεσι φηλωθεῖσα θοὴ κεμάς . . . . . .

»κέρδεσι» uocem Lachmannus, ut in Crus. prol. pag. XCI inuenio, haud recte in »κερδοῖ» mutauit, quoniam non uidit »»κέρδεσι» imitatione Hesiodeae dictionis proferri. Recte enim monet Crusius l. l. Hesiodum »κέρδεσι» pro »πανουργίαις» dicere. Etiam »φηλωθεῖσα» participium ex Hesiodo sumptum esse uidetur. Is enim habet φηλωθείς = ἀπατηθείς, φηλωθεῖσα = ἀπατηθεῖσα. Actiuam uerbi formam saepius inuenimus, ut apud Aeschylum et in anthologia Palatina. In eiusdem fragmenti uersu sequenti leguntur: ἠπεδανοῖο λέοντος . . . ubi »ἠπεδανός» adiectiuum Homeri sermonis est. Idem fere ualet atque »χωλός, ἀσθενής» i. e. »inualidus, infirmus». Homerus his locis »ἠπεδανός» adiectiuum adhibet: Od. VIII, 311; Il. VIII, 104. Eiusdem fragmenti uersu deinceps sequenti leguntur:

. . . . . καὶ ὄμμασι λοξὸν ὑποδρὰξ
ὀσσομένη . . . . . .

imitatione Homerici illius »ὑπόδρα ἰδών», ut Il. I, 148, alibi. Vis est dictionis »toruis oculis intueri». Transeo ad eiusdem fragmenti uersum sequentem:

. . . . . βέβυστο δὲ πᾶσα χόλοιο·

»βύω» uerbum apud poëtas antiquos uim habet obturandi, obstruendi, ut in exemplo Homerico Od. IV, 134: . . . . . νήματος ἀσκητοῖο βεβυσμένον· Lucianus eadem significatione uerbum profert: ῥαφανίδι τὴν πυγὴν βεβυσμένος. Herodotus habet: »ἐβέβυστο τὸ στόμα.» Nullo autem loco apud auctores antiquos ad animum hominis

id translatum esse uidetur. Vnde mihi ueri simillimum uidetur esse uerbum a poëta nostro non satis recte intellectum esse; nam βέβυστο χόλοιο, quod est »ira referta erat», a poëtis antiquis serio dici non solere satis testatur Aristophanes ioco uerba quaedam fingens: adiectiuum νουβυστικός et aduerbium νουβυστικῶς, ut
Eccl. 441: γυναῖκα δ'εἶναι πρᾶγμ' ἔφη νουβυστικόν.
Vesp. 1294: ὡς εὖ κατηρέψασθε καὶ νουβυστικῶς.

Scholion ad Vesp. 1294 recte explicat: »νοῦ πεπληρωμένως, συνετῶς» et animaduertit deriuatum esse uerbum e nomine »νοῦς» et uerbo »βύσαι, τὸ πληρῶσαι.» Iam primo obtutu apparet poëtam comicum lusu uerba finxisse, neque locis Aristophaneis comprobatur eadem etiam ab iis, qui serio scripserunt, adhiberi potuisse. Verbum igitur ab Homero ceterisque de rebus, ut ita dicam, extra hominem positis adhibitum poëta fragmenti dactylici, quum non recte intellexisset, ad animi uires transtulit, quo factum est, ut comice, non serio dictum esse uideri posset.

»δοιός» adiectiuum numero plurali »δοιοί» ab Homero, Hesiodo, Pindaro exhibetur, duali autem numero »δοιώ» non occurrit nisi apud Homerum in Iliadis XXIV, 608: φῆ δοιὼ τεκέειν, ἡ δ'αὐτὴ γείνατο πολλούς· et in fragmento fabulae dactylicae 10: θέντο μετ'ἀλλήλοισιν ἑταιρείην μύε δοιώ. In eiusdem fragmenti uersu 3 leguntur: ὃς δὲ δόμοισιν ἐν ἀφνειῶν τρέφετ' ἀνδρῶν.

»ἀφνειός» adiectiuum, quod est = »diues, opulentus» apud Homerum potissimum occurrit, post eum autem in scriptis suis receperunt Hesiodus, Phocylides, Pindarus, Theocritus, Apollonius Rhodius.
Hom. Od.: οἷσιν τ'εὖ ζώουσι καὶ ἀφνειοὶ καλέονται.
Hesiod. Op.: . . . . . πολύμηλοι τ'ἀφνειοί τε.
Hesiod. Theog.: τὸν δ'ἀφνειὸν ἔθηκε, πολύν τε οἱ ὤπασεν ὄλβον.

In eodem fragmento etiam uestigia posteriorum poëtarum dicendi rationis inueniuntur, ut dictio uersus 2 »καθ'ὁμά» etiam apud Callimachum reperitur. In uersu 5 adiectiuum »μύχατος» legitur, quod proprie est = »intimus, abstrusus»; praeter hunc locum idem uocabulum occurrit apud Apollonium Rhodium I, 170: μυχάτῃ ἐνέκρυψε καλιῇ· apud Phocylidem 152: μυχάτους προλελοιπότες οἴκους· apud Oppianum Cyn. III, 350: οὐδ'ὕπνον μυχάτοισιν ἔχει παρὰ τέρμασι πέτρης.

In uersu fragmenti 11 secundo »μεταχρόνιος» adiectiuum nobis difficultates mouet. Rectam uocis interpretationem Suidas sine dubio attulit, quum uertit: »ἡ εἰς ὕψος φερομένη». Scholion enim ad Hesiodi Theog. 269, ubi de Harpyiis agitur:

αἵ ῥ'ἀνέμων πνοιῇσι καὶ οἰωνοῖς ἅμ' ἕπονται
ὠκείῃς πτερύγεσσι· μεταχρόνιοι γὰρ ἵαλλον·

animaduertit »Χρόνος» hoc loco pro »Οὐρανός» dici. Eadem significatione Apollonius Rhodius adiectiuum »μεταχρόνιος» de Iride, quae simul cum Harpyiis fugatur, profert II, 300: . . . . . ἡ δ'ἀνόρουσεν
Οὐλυμπόνδε θοῇσι μεταχρονίῃ πτερύγεσσι.

et in uersu II, 587 de naue: . . . . . ὑψοῦ δὲ μεταχρονίη πεφόρητο.

Cum fragmento breuissimo illo: »αἰπύκερως ἔλαφος» conferenda sunt Homeri Od. X, 158:

ὅς ῥά μοι ὑψίκερων ἔλαφον μέγαν εἰς ὁδὸν αὐτὴν
ἦκεν . . . . . .

Ceterum hoc loco animaduersum uelim Alexandrinos poëtas uoces hoc modo compositas ut αἰπύκερως, ἀείπλανος fragmenti primi quam maxime in deliciis habuisse, neque desunt, qui fragmentum primum Callimacho ascripserint, qua de re uide Crus. ed. pag. 215. His omnibus commotus equidem fabulas illas uersibus dactylicis prolatas a poëtis auctorum antiquiorum scri-

bendi generis satis peritis, ut erant haud raro aetate illa rhetorum posteriorum, compositas esse statuerim. Vtrum ex Babrio argumenta sumpserint, quod statuit Crusius, an fontem ipsum Aesopeum adhibuerint, mihi quidem, ut propositum meum assequar, minoris est momenti. Tamen mihi non inuerisimile uidetur esse poëtas fabularum dactylicarum, ut erant litteris antiquioribus graecis imbuti, syllogen quandam Aesopeam antiquam sibi sumere potuisse, cuius fabulas carmine epico continuo lectoribus illustrarent. Concedendum id certe est fragmenta cum fabulis Babrii plerumque usque ad uerborum similitudinem congruere; quum autem iam supra demonstratum sit idem de Phaedri et Babrii fabulis communibus ualere, congruentia illa etiam fonti communi deberi potest. His praemissis iam ad ipsas fabulas tractandas nobis transgrediendum est. Iis, quae etiam apud Phaedrum exstant, exceptis hae nobis restant fabulae Babrio cum poëtis fragmentorum communes, quae diligentius disquirantur: 16, 36, 64, 75, 86, 115, 122.

Fabulae Babr. 16, quae est »λύκος καὶ γραῦς», tres apud Halm. recensiones exstant, quae omnes inter se et cum Babrii fabula plane congruunt exitu solo excepto, in quo afferendo 275 et 275[b] aliam, quam Babrius et 275[c] sententiam praebent. Vteruis fabulae exitus satis conuenit, ut difficile sit diiudicatu uter uerior sit. 275 et 275[b] hunc habent: »ἐν ταύτῃ τῇ ἐπαύλει ἄλλα μὲν λέγουσιν, ἄλλα δὲ πράττουσιν.» 275[c] cum Babrio magis congruens praebet: »πῶς γάρ τις πιστεύσας γυναικί;» Si auctorem fragmenti dactylici primi a Babrio non pendere statuimus, ad quaestionem diiudicandam satis ualere potest quod uerbis eius fragmenti »ἀεὶ πλάνα χείλεα γρηός» haud dubie eadem phrasis Aesopea subest, quae etiam Babr. 16, 10 exprimitur:

ὁ δ'εἶπε »πῶς γάρ, ὃς γυναικὶ πιστεύω;»

Sed hac re praetermissa ex omnibus fere elucet has fabulas ad unam eandemque originem omnes referendas esse. Quam syllogen Aesopeam antiquam aliquam fuisse uel ex eo concluserim, quod iam Aristophanes Lys. 626—629 (quem locum in commentario Rutherfordii pag. 23 inueni) fabulis nondum praeceptis rhetorum tractatis idem argumentum eo modo adhibuit, ut appareat eum hanc ipsam fabulam cognouisse. Haec enim leguntur:

δεινὰ γάρ τοι τάσδε γ'ἤδη τοὺς πολίτας νουθετεῖν,
καὶ λαλεῖν γυναῖκας οὔσας ἀσπίδος χαλκῆς πέρι,
καὶ διαλλάττειν πρὸς ἡμᾶς ἀνδράσιν Λακωνικοῖς,
οἷσι πιστὸν οὐδέν, εἰ μή περ λύκῳ κεχηνότι.

Quibus uersibus Lacedaemonios cum lupo fabulae comparari facile est uidere. Id enim dicit Aristophanes quemadmodum lupum puero fabulae, ita Lacedaemonios, quum uiderent mulieres a uiris suis dissidere, Atheniensibus uiris insidiari, quum sperarent eos sibi ab uxoribus proditum iri. Aristoph.: Lacedaemonii = Fab.: Lupus; Aristoph.: Viri Athenienses = Fab.: Puer; Aristoph.: Feminae Athenienses = Fab.: Anus. Non dubium igitur est quin fabulam, non prouerbium solum, ut statuit Rutherfordius, Aristophanes cognouerit. Ceterum fabulam iam antiquis temporibus in prouerbium abiisse certe credendum est, atque aetate rhetorum posteriorum id magis quam ipsam fabulam floruisse inde colligendum est, quod et in litteris eius temporis saepissime occurrit (cf. Rutherfordium l. l.*) et a Babrio in ipsam fabulam ita inseritur, ut lectoribus perspicuum sit prouerbium respici (cf. uers. 6).

Si ad fabulas 36 et 64 diligentius tractandas transgredimur, iam ipso argumento, in quo uersantur,

---

*) Ad locos, ubi occurrit prouerbium, a Rutherfordio allatos addere possum etiam Aeliani nat. an. VII, 11, l. 38 (Hercher).

commoueri possumus ut credamus eas ex sylloge Aesopea antiqua haustas esse. Nam in Phaedri prologo I docemur apud Aesopum lectas esse fabulas, in quibus arbores loquerentur. Etiam Phaedrum nonnullas eius generis fabulas attulisse ex uerbis eius apparet:

Calumniari si quis autem uoluerit,
Quod arbores loquantur, non tantum ferae,
Fictis iocari nos meminerit fabulis.

Postea autem una sola excepta (Rom. III, 14), de qua supra egimus, e libris eius incuria librariorum exciderunt. Deinde si fabularum duarum Babrii compositionem respicimus, narratione breui et simplici earum sententia illa etiam magis confirmatur. Vt a fabula 36 incipiamus, eiusdem argumenti apud Halm. 3 fabulae exstant, quarum tamen 179[b], quum eam ad rhetorum exercitationes haud dubie pertinere ex multis concludere liceat, hoc quidem loco nobis praetermittenda est. Verbis enim copiosissimis, magna ex parte synonymis laborat, ut in initio fabulae: διὰ καρτερίαν καὶ ἡσυχίαν καὶ ἰσχύν ..... et oratione obliqua uerba personarum fabulae affert, qua de re cf. Theonis progymnasmata (Walz. I pag. 176 sqq.). Fabulae autem 179 et 179[c] quamquam eas paraphrases fabulae Babrianae esse iure negandum est, quum fabula 179 saltem narrationem a Babrio nullo modo pendentem, ratione uere Aesopea breuem, nudam, nullo studio excogitatam praebeat, si non ad uerba accurate, at tamen in rebus omnibus cum fabula Babrii ita congruunt, ut haud dubie ad fontem communem antiquiorem nullis rhetorum studiis obnoxium transferendae sint. Quamquam igitur omnes ex eodem fonte haustas esse censeo, tamen fabulam Halm. 179 breuissimam et uenustissimam ad formam antiquam Aesopeam propius quam Babr. 36 et Halm. 179[c] accedere statuerim. Quae iam de Babr. 36 et Halm. 179 disputata sunt,

eadem etiam de Babr. 64 et Halm. 125 ualere non difficile est inuenire. Si igitur iam ex iis, quae supra dicta sunt, uerisimile esse uidetur Babrium has fabulas ex Aesopo sumpsisse et in priore suo libro attulisse, id fragmentis dactylicis, quae in iisdem argumentis uersantur et cum fabulis Halmii supra tractatis haud minus quam cum Babrianis cohaerent, certius nobis fit. Vt congruentiam ostendam, haec excerpsi:

Fragm. 2, 1: ἠχήεις ἐτάνυσσε βαλὼν προκάρηνον ἀήτης =

Babr. 36, 1: δρῦν αὐτόριζον ἄνεμος ἐξ ὄρους ἄρας... =

Halm. 179: δρῦν ἄνεμος ἐκριζώσας ἐν ποταμῷ ἔῤῥιψεν.

et Fragm. 2, 2: ἔστασαν οὐδὲ κόμας ψαφαρῇ μεμίαντο κονίῃ =

Babr. 36, 4: πολὺς δὲ κάλαμος ἑκατέρωθεν εἱστήκει.

Ex fabula, quae apud Babrium est 64, apud Halm. 125, fragmenta excerpta haec nobis attulit Suidas:

Fragm. 4: αἰπεινὴν ἐλάτην ἔρις ὤρορεν αἴσυλα φάσθαι. =

Babr. 64, 1: ἤριζον ἐλάτη καὶ βάτος πρὸς ἀλλήλας. =

Halm. 125: ἐλάτη καυχωμένη τῇ βάτῳ ἔλεγεν.

et Fragm. 19: αἰπειναῖς ἐλάταις ἔρισεν βάτος. ἡ μὲν ἔειπε καὶ ναῦς καὶ νηοὺς τεμνομένη τελέειν. =

Babr. 64, 5: στέγης τε μέλαθρόν εἰμι καὶ τρόπις πλοίων. =

Halm. 125: ἐγὼ ἐν στέγεσί που χρησιμεύω καὶ οἴκοις.

Fabula Babr. 75 unde a principio fluxerit, statuere eam ob rem difficile est, quod narrationes eae, quibus de medicorum prauitate et malignitate agitur, in litteris antiquis adeo inter se confusae sunt, ut forma fabulae primaria protrahi uix possit (cf. quae habent Crusius ed. pag. 192 de Babr. 221, P^{r} 101, Halm. 150 et Hausrath. l. l. pag. 318 de Halm. 107, 136, 169). Aliquid com-

mune tamen his omnibus fabulis inesse ex ipsis uerbis in iis adhibitis nonnumquam colligere licet, ut Havetus in editione Phaedriana pag. 17 ad I, 14 uers. 11 de uerbis fabulae Halm. 78[c] »τῆς τῶν ἰατρῶν τέχνης» commemorat. Multo tamen clarius quomodo inter se connexae sint hae fabulae ex Phaedri I, 14 et Babr. 75 nobis uidere licet, quae quamuis in argumento proferendo inter se abhorreant, tamen uestigia communis originis seruarunt; cf.

Babr. 75, 20: κἀπώμοσ' αὐτοῖς, ὅτι σὺ ταῖς ἀληθείαις
ἰατρὸς οὐκ εἶ καὶ μάτην διεβλήθης =
Phaedr. I, 14, 10: Timore mortis ille tum confessus est
Non artis ulla medicae se prudentia,
Verum stupore uulgi factum nobilem.

Quamquam igitur de forma argumenti Aesopei nihil statuere ausim, tamen Babrium ipsum hanc narrationem inter fabulas suas Aesopeas recepisse et ex illa cum Phaedri congruentia concludendum esse censeo et inde, quod fragmentum dactylicum 6 ad idem argumentum pertinens narrationem Babrii plane sequi uidetur. Si igitur fragmenta ad imitatores Babrii pertinent, sequitur fabulam in priore libro exstitisse; sin minus, ad fontem communem antiquiorem, unde etiam Phaedrus in fabula sua componenda nonnulla hausit, congruentia illa referenda est.

Fabulae Babr. 86 et 115 etiam eam ob rem nobis commemorandae sunt, quod quum in scriptis naturalis historiae forma mutata narrentur, ostendunt commercium, ut ita dicam, fuisse fabularum inter collectiones Aesopi et scriptores naturalis historiae. Si locos illos multos, in quibus occurrit Babr. 86, examinauerimus, elucebit, credo, Babrium in narratione sua multa seruauisse, quae ad exemplar fabulae antiquius referri possint. Id primum animaduersum uelim nullam propiorem societatem inter

Babr. 86 et Halm. 31 interesse. Propius inter se cohaerere Halm. 31 et exemplar Dionis Chrysostomi inde concluserim, quod hic 47. p. 233. R. (quem locum ex commentario Dillenburgeri Horatiano ad Ep. I, 7, 29 cognoui) sicut Halm. 31 δρῦν, Babrius autem φηγόν introducit. Omnes tamen ad idem exemplar principale referendas esse ex his similitudinis exemplis concludere uelim: Babr. 86, 6: οὐκέτ' εἶχεν ἐκδῦναι = Halm. 31 οὐκ ἠδύνατο ἐξελθεῖν = Dio. Chrysost.: οὐκ ἐδύνατο ἐξελθεῖν et Halm. 31: ἑτέρα δὲ ἀλώπηξ τῇδε παριοῦσα εἰσήκουσε αὐτῆς τῶν στεναγμῶν = Babr. 86, 7: ἑτέρη δ'ἀλώπηξ ὡς ἐπῆλθε κλαιούσῃ . . . . Hor. Ep. I, 7, 33, quamquam pessime argumentum Aesopeum poëta romanus corrupit (cf. quae in uersum 30 animaduertit Bentleius, cuius de hoc loco dubitationem magnam ex Dillenburgeri commentario p. 506 cognoui), et Babr. 86, 9—10 uerba quam proxime inter se connexa esse Crusius in editione p. 76 monuit. Addere uelim uerba Horatiana uers. 30 »pastaque pleno corpore etc.» mihi de dictione graeca ab Aesopo adhibita conuersa esse uideri, quae subest etiam Babr. 86, 5: γαστὴρ δ'ὠγκώθη = Halm .31: ἐξογκωθεῖσα τὴν γαστέρα = fragm. dact.: γαστέρα δ'ὄγκον ἔχουσαν . . . . . Etiam Aelianum nat. an. IV, 15 (quam narrationem e commentario Crusii cognoui) quamquam in ceteris rebus, quum fabulam in miraculum naturalis historiae mutauerit, ab auctoribus iam commemoratis longe recedit, eandem phrasin Aesopeam cognouisse ex uerbis eius: » παρατείνεται γὰρ ἡ γαστήρ» colligere uelim.

Fabula Babrii 115, quae et ea fabulatorum et auctorum naturalis historiae communis fuit, multis auctorum antiquorum locis nobis seruata est. Sed plerumque adeo mutata profertur, ut forma fabulae antiquissima qualis fuerit difficillimum sit statuere. Rutherfordius in pro-

legomenis pag. XLVII contendit fabulam Babrii ad prouerbium illud Pseudo-Plutarchi 25: ἄνευ πτερῶν ζητεῖς ἵπτασθαι fictam et ex eo extensam esse. Id tamen haud uerisimile esse ex eo facile apparet, quod fabula Babrii, ut monuit Crusius in Philol. LIV, p. 479, haud dubie cum Phaedri II, 6 et Plinii Nat. Hist. X, 3, 3 et Aeliani nat. an. VII, 16 cohaeret. Apud Havetum p. 40 inuenio idem argumentum etiam Val. Max. IX, 12 ext. 2 tangi. Quod ad narrationem Phaedri attinet, ea quidem quum cornicis persona ceteris auctoribus ignota haud dubie ad certum quendam »consiliatorem maleficum» castigandum pertineat, adeo mutata exhibetur, ut iam eadem atque Babrii esse desierit. Fabula Halm. 419, quae haud scio an mera paraphrasis Babrii fabulae esse possit, nullo modo difficultates summouet. Auctores porro historiae naturalis quum argumentum ad mortem Aeschyli transferant et in paradoxon mutauerint, ad historiam fabulae illustrandam parum ualent. Quamquam igitur de forma argumenti Aesopea nihil nobis statuere licet, tamen Babrium inde narrationem sibi sumpsisse et in libro suo priore posuisse et ex eo colligendum est, quod Phaedrus similem attulit, et ex fragmento dactylico 11. A rhetoribus hoc argumentum ut nouas fabulas fingerent, nonnumquam sumptum esse inde colligo, quod Halm. 362 eandem fere rem atque Babriana illustrat (cf. exitum: ἀλλ'ἔγωγε δίκαια πέπονθα· τί γάρ, ἁλιεύειν μὴ μαθών, τούτῳ ἐπεχείρουν;) et fabula Halm. 134, quae est de lupo et haedo, ad eandem originem referenda est, ut e uerbis lupi apparet: ταῦτα ἐμοὶ καλῶς γίνεται· ἔδει γάρ με, μακελλάριον ὄντα, αὐλητὴν μὴ μιμεῖσθαι.

Fabulam Babrii 122, quum apud auctores antiquiores, quantum equidem inuenire potui, non occurrat, testimoniis ex litteris antiquioribus sumptis Aesopeam

esse pro certo probare difficile erit. Narratio uero nuda et simplex nullo modo artem rhetorum spirat. Fabula Halm. 334, quae et ea uenusta et lepida profertur, si paraphrasis Babrianae non est, ad eundem fontem atque ea haud dubie referenda est. Solum tamen re uera subsidium, ut ostendamus hanc fabulam in libro Babrii priore lectam esse nobis restat fragmentum dactylicum 12: ἔκ μοι σκῶλον ἔρυσσον, ὅ μοι κακὸν ἔμπεσεν ὄπλῃ. = Babr. 122, 7: χάριν δέ μοι δὸς ἀβλαβῆ τε καὶ κούφην ἐκ τοῦ ποδός μου τὴν ἄκανθαν εἴρυσσας.

Restat ut de fragmento 9, quod Crusius ad fabulam Babr. 95 pertinere censet, breuiter quaeramus. Iam per se facile apparet fabulam Babr. 95, qua est in codicibus uerborum copia, in sylloge Aesopea inuentam esse non posse neque in priore Babrii libro exstitisse. Vnde sequitur ut fragmentum 9 aut a poëtis illis fabularum dactylicarum abiudicandum sit aut ad aliam fabulam nunc de libello Babriano deperditam pertineat. Neque desunt uiri docti, qui fragmenti partes aliquas ad Callimachum transtulerint, qua de re consulenda est editio Crusii pag. 216 et 217.

Si personas, quae in his fabulis inducuntur, recensemus, animalia fabulae Aesopeae antiquissimae propria (uide Hausrath. l. l. p. 308) ut in iis, quae priore capite tractatae sunt, ita in his plerumque recurrunt ut lupus (16, 122), uulpes (86), asinus (122); in fabulis 36 et 64 ratione uere Aesopea arbores partes agentes induci supra monui. Quas quinque fabulas (16, 36, 64, 86, 122), quum eaedem sint argumentis simplicibus et incorruptis, quales Aesopo conueniunt, primo illi generi fabularum Aesopearum ab Hausrathio constituto tribuere uelim. Fabulae 75, quae sicut Babr. 22 = Phaedr. II, 2 narratiuncularum numero attribuenda est (cf. Havet. ed. Phaedr. p. 254), nota posterioris quam supra com-

memoratis originis impressa est, quae ea quoque re confirmatur, quod auctores antiqui, ut supra monui, in hoc argumento tractando longe inter se abhorrent, quum in fabulis primi illius generis afferendis plerumque congruant. Cetera quoque fabulae signa propria cum iis conueniunt, quae de secundo illo genere fabularum Aesopearum Hausrathius p. 309 attulit. Fabula Babr. 115 sicut 17 et personis, quae inducuntur, aquila et testudine a generibus antiquioribus fabulae Aesopeae discrepat, et aliis quoque indiciis nobis colligere licet eam ad prodigia illa naturalis historiae, quae in collectiones Aesopeas posteriore tempore irrepsisse statuit Hausrathius l. l. p. 309, referendam esse. Vnde sequitur Babrium sicut etiam Phaedrum in fonte suo Aesopeo fabulas tertii quoque Hausrathii generis inuenisse, de qua re infra pluribus disputabitur. His igitur omnibus consideratis non dubium esse potest quin etiam iis argumentis Babrio cum fragmentis dactylicis communibus, quae apud Phaedrum desunt, fons Aesopeus antiquus aliquis subsit, neque magni interesse censeo utrum fragmentorum auctores ipsum Babrium transscripserint, an eius exemplum secuti argumenta ex sylloge Aesopea antiqua sibi sumpserint. Iam supra monui Crusium (de Babr. aet. pag. 240) statuisse satis longum temporis spatium inter priorem et posteriorem Babrii libros editos interiectum esse; unde concludere licet auctores fragmentorum dactylicorum, si re uera Babrii imitatores sunt, quum Babrius alterum suum librum in publicum emitteret, iam uersus pangere destitisse. Nam poëtas illos Babrio posteriores fuisse credere ea scilicet re prohibemur, quod si fuissent, haud dubie eius exemplum secuti etiam libros fabularum a rhetoribus compositos in usum suum conuertissent. His igitur causis adductus statuendum esse censeo etiam fabulas in hoc capite tractatas ad priorem Babrii librum transferendas esse.

De fabulis, quae ad historiam naturalem pertinent, et de Αἰσώπου γελοίοις.

Phaedrus quum in libri primi prologo profitetur se materiam Aesopi solam uersibus inclusurum esse, suspiciones nostras necessario mouet, quod in hoc libro fabulas attulit, quae a ratione narrandi Aesopea abhorrentes apud Babrium et auctores antiquiores, qui in fabularum argumentis proferendis multi sunt, omnino desunt, apud scriptores autem paulo posterioris aetatis occurrunt. Crusius Mus. Rhen. XXXIX pag. 604—605 demonstrauit Phaedrum in argumentis exhibendis haud raro cum Plutarcho ita consentire, ut quin eadem exemplaria adhibuerint dubitari non possit. Argumentorum, quae Phaedro cum Plutarcho communia esse inuenit, tria I, 18; I 20; I, 26 iam in primo Phaedri libro leguntur. Apparet igitur Phaedrum Aesopo haec argumenta adscripsisse. Libros Phaedri peruoluenti etiam aliae fabulae mihi occurrerunt, quae ab auctoribus naturalis praesertim historiae posterioribus eodem fere modo quo a Phaedro proferuntur. Etiam in libro I una certe eius generis legitur fabula I, 25; addere uelim I, 19, quae etiam a Justino XLIII, 4, 4 narratur (cf. Schwabe I, 382; Havet. pag. 21); dubium enim esse non potest quin etiam Justinus auctorue eius eam ex fonte graeco transtulerit. Sed eam ex collectionibus fabularum uulgaribus haustam esse non posse facile inde apparet, quod si ita factum esset, haud dubie aut in fabularum copia, quae ad nos peruenit, exstaret aut commemoraretur saltem ab auctoribus. Sed Phaedro

et Iustino exceptis mentio eius teste Schwabio (I p. 382) nullo litterarum antiquarum loco fit. Vnde colligendum esse credo Iustinum uel potius auctorem eius eam ex farragine scriptoris naturalis historiae aut paradoxographi minus cogniti sumpsisse, quales multos fuisse ex commentatione, quam de Alexandro Myndio conscripsit Wellmannus (Hermae XXVI, pag. 481—555), elucet. Phaedrum consulto ementiri se eam ex Aesopo hausisse tamen non putandum est. Fabulam Phaedri I, 25 a Macrobio II, 2, 7, Aeliano nat. an. VI, 53, Plinio hist. nat. VIII, 148, Solino XV, 12 afferri notauit Havetus pag. 24. Apud auctores antiquiores eius mentio deest, sicut etiam in libris Babrii et fabulis prosaicis graecis. E fabulis, quas Phaedro cum Plutarcho communes esse demonstrauit Crusius, una (I, 18) nullo alio occurrit loco. Vnde colligendum est haec argumenta in antiquitate minus uulgata fuisse. Si autem quibus locis has fabulas posuerit Phaedrus quaesiuerimus, haud dubie mirum esse uidebitur eum I, 18; I, 19; I, 20 inter se connexuisse, sicut loco posteriore I, 25; I, 26. Ad hanc dispositionem illustrandam nescio an uerba eius, de quibus supra egi, prooem. I, 3—4: »Duplex libelli dos est, quod risum mouet Et quod prudenti uitam consilio monet» aliquid ualeant. Crusius (Rhen. Mus. XXXIX, pag. 605) breuiter indicauit argumentum Phaedri I, 26 Aesopi γελοῖον putandum esse. Idem etiam de I, 18; I, 19; I 20; I, 25 dici posse credo. Si igitur ea, quae de duabus collectionum Aesopearum partibus disputaui, uera sunt, haud dubie Phaedrus has fabulas ex altera fontis sui parte sumpsit. Phaedrus quum fabulas I, 1—I, 17, quarum magnam partem cum Babrio communem habet, ex priore parte fontis Aesopei, ut prudenti uitam consilio moneret, sumpsisset, fabulas 18—20 ut risum legentium moueret,

interposuisse mihi uidetur. Deinde fabulae 21—24, quarum 22 et 24 etiam habet Babrius, ad lectores consilio monendos pertinent, fabulae 25—26 rursus risum mouent. Vtcumque tamen haec res se habet, ex iis, quae iam disputata sunt, credo apparere Phaedrum in libro suo primo argumenta Aesopo ascripsisse, de quibus alii auctores aliter censuerunt. Etiam in ceteris Phaedri libris similia argumenta tractari facile est inuenire. Crusius (Mus. Rhen. XXXIX, pag. 605) Phaedro cum Plutarcho communes esse demonstrat III, 3; III, 8; IV, 4; IV, 10; IV, 24; idem uir doctus (l. l. pag. 603) monuit Phaedr. App. III cum fragmento quodam, quod in Protreptico attulit Galenus (cf. l. l. pag. 592) et Plutarcho ascribendum esse coniecit Crusius, consentire. Quarum fabularum III, 3 paradoxon, IV, 24 γελοῖον esse potest. Crusius hac consensione argumentorum commotus coniecit eadem exemplaria narrationibus Phaedri et Plutarchi subesse. Quoniam autem Phaedrus se ea ex Aesopo sumpsisse autumat, inde sequeretur etiam Plutarchum eius librum adhibuisse. Quod uno alteroue argumento factum esse potest. Sed de omnibus tale quid statuere audacius esset. Quum satis constet Plutarchum in studiis naturalis historiae multum uersatum esse, potius crediderim eum collectionem περὶ ζώων a paradoxographo nescio quo compositam in usum conuertisse. Hausrathius autem (neue Jahrbücher 1898, 1, pag. 309) coniecit in collectionibus Aesopi receptas esse narrationes, quae magna ex parte e paradoxographis fluxissent. Nihil igitur est, quod obstet quominus fons Aesopeus Phaedri et collectio paradoxorum Plutarchi quam proxime inter se cohaeserint multaque communia habuerint. Eodem modo haud dubie explicanda est Phaedri cum scriptoribus naturalis historiae, qui ad nos peruenerunt, consensio.

De fabulis, quae in libro I occurrunt, iam monui. E ceteris libris satis erit protrahere II, 6; IV, 8; app. XXX. Fabula Phaedri II, 6 apud Plin. X, 3, 3, Aelian. an. nat. VII, 16 occurrere notauit Crusius (Philol. LIV, pag. 479); Schwabius I, pag. 481 ante eum praeter hos locos protraxit Val. Max. IX, 12 et Aelian. nat. an. III, 20; etiam apud Babrium (115) occurrit fabula, qua de re amplius infra. Fabulam Phaedri IV, 8 a Lochmanno Arabe pag. 36 narrari apud Burmannum (pag. 223) inuenio. Arabes autem non ex scriptis Aristotelis et Theophrasti solis, sed etiam e ceteris scriptoribus naturalis historiae multa petiuisse constat. In litteris graecis solum inter fabulas prosaicas (Halm. 146) nobis seruata est. Argumenta autem similia multa a paradoxographis tractata esse ex iis, quae Wellmannus (Hermae XXVI pag. 321—346) de fontibus iologicis ab Aeliano, Nicandro, Plinio, aliis adhibitis disputauit, ad colligendum inclinat animus. Fab. app. XXX, quam auctore Haveto (pag. 145) narrant etiam Plin. Hist. nat. VIII, 109, XXXII, 26, Aelian. an. nat. VI, 34, teste Wellmanno (Hermae XXVI, pag. 346) etiam schol. Nic. Ther. 565, quin e paradoxorum collectione fluxerit dubitari non potest. A scriptoribus antiquioris aetatis nullo loco commemoratur neque a Babrio affertur. In collectione autem graeca aliqua fabularum eam lectam esse indeque petitam facile ea ex re apparet, quod sicut Phaedr. IV, 8 inter fabulas prosaicas (Halm. 189) graecas exstat. De his igitur tribus argumentis idem fere ualere, quod de Plutarchi et Phaedri fabulis communibus statuendum esse censeo. In fontem Phaedri Aesopeum ex libro paradoxographi uel paradoxographorum irrepserunt.

Ne Plutarchum quidem fonte principali harum fabularum, sed copia a compilatore composita narratio-

nibus Plutarchi et Aeliani inte se comparatis euicit Wellmannus (Hermae XXVI, pag. 531—540). A. Brunk (cuius commentationem tantum ex encyclopaedia Pauly-Wissowae I, 488 cognoui) primus demonstrauit, ea, quae communia habent Plutarchus et Aelianus, ex eadem collectione dictorum et factorum memorabilium fluxisse. In argumentis huius collectionis (quam Alexandri Myndii fuisse Wellmanus l. l. pag. 538 suspicatur) conquirendis multos etiam scriptores antiquioris aetatis, ut Aristotelem, Democritum, Ctesian, Chrysippum, Cleanthen in usum collatos esse comprobat Wellmannus pag. 537. Nullo igitur modo mirum uideri potest nonnulla talium argumentorum etiam in collectiones Aesopeas antiquas irrepsisse.

Multis autem locis Aelianum in narrationibus perficiendis et explicandis Oppiano propius quam Plutarcho accedere idem uidit Wellmannus l. l. pag. 536—37. Iam antea Felix Rudolph in commentatione, quam de Aeliani Variae Historiae fontibus conscripsit (Leipz. Stud. VII, pag. 136), uiderat locos Aeliani et Oppiani permultos inter se consentientes ex eodem fonte haustos esse. Iure animaduertit, ut ipsius utar uerbis, »utrumque euadere compilatorem, Aelianum fontem suum in orationem sophisticam uertere, in poëticam Oppianum.» Si autem uere disputauit Wellmannus Aelianum Alexandro Myndio, quem argumenta e scriptis auctorum antiquiorum quoque petiuisse idem uir doctus comprobauit, pro fonte principali usum esse, sequitur etiam Oppianum eundem in usum conuertisse. Vt tandem ad Babrium nostrum redeamus, is quidem haud pauca profert argumenta, quae apud Aelianum et Oppianum leguntur, nec desunt, quae etiam apud Plutarchum et Plinium inueniantur, ut appareat etiam fontem Babrii cum exemplaribus compilatoris, quem his auctoribus subesse suspi-

catus est Wellmannus, quodam modo cohaesisse. Quod nullo modo ita accipiendum esse censeo, ut et Babrius aut scripta Alexandri Myndii cognouerit aut eosdem auctores quos hic excerpserit. Quum autem comprobauerit Wellmannus Alexandrum multos auctores antiquioris aetatis compilauisse, non dubito quin multa eorum paradoxorum, quae protulit Alexander, etiam in collectionem Aesopeam Babrii irrepserint. Nam in sylloga Aesopi nomine prolata, quam adhibuit Babrius, alteram quoque partem paradoxorum et γελοίων sicut in exemplari Phaedri exstitisse ea ex re colligo, quod et improbabile uidetur esse Babrii librum Aesopeum solum a ceteris similibus distulisse et apud poëtam fabulae exstant haud dubie ad paradoxa illa et γέλοια referendae. Quarum argumenta quum haud raro cum Aeliano, Oppiano, Plutarcho, Plinio communia habet Babrius, apud auctores antiquiores raro commemorantur. In collectione tamen fabularum aliqua prosaica ea exstitisse facile inde concluditur, quod in collectione Halmii nobis seruatae sunt. Vt igitur de fabulis eiusdem generis Phaedri, ita de Babrii statuendum est eas multo minus quam fabulas Aesopeas uetustiorum generum in antiquitate percrebruisse.

Quum de generibus uetustioribus illis Hausrathii fabularum statuendum erat easdem fabulas simili fere modo narratas omnibus collectionibus uere Aesopeis complexas esse, in tertio genere et in Aesopi γελοίοις afferendis eas multum inter se dissensisse facillime intelligitur. Hausrathius (neue Jahrb. 1898, I, pag. 309) recte monet has fabulas a paradoxographis et collectionibus apophthegmatum diuersissimis profectas ad compendium illud Aesopi uetustissimum accessisse. Mirum igitur non est collectiones Aesopeas, quarum prior illa pars quam diutissime immutata manebat, ut e consensu

fabularum Phaedri et Babrii communium intelleximus; in fabulis alterius partis proferendis multum inter se distulisse. Re uera etiam ex iis uestigiis, quae nobis prodita sunt, perspicere licet alias in aliis syllogis fabulas huius generis narratas esse. Quum apud auctores antiquiores raro commemorantur, a scriptoribus posterioribus naturalis imprimis historiae diuersis saepe modis exhibentur. Eorum, qui in argumentis naturalis historiae tractandis uersati sunt, Plutarchus, ut supra disputatum est, maxime cum Phaedro concinit, Aelianus et Oppianus cum Babrio. In uno solo huius generis argumento (Phaedr. II, 6 = Babr. 115) proferendo inter se consensisse fontes Babrii et Phaedri uidentur, neque satis scio an ipsis fontibus tribuendum sit quod in hac ipsa narratione perficienda longe inter se abhorrent auctores. In ceteris omnibus fabulis, quarum argumenta ex historia naturali petita sunt, proferendis inter se differunt.

Non dubium est quin animaduerti possit has fabulas non proprie esse Aesopeas neque scriptores antiquioris certe aetatis satis inter se consensisse utrum Aesopi esse putarentur necne. Vt tamen antea uidimus Phaedrum talia argumenta Aesopo ascripsisse, ita non desunt uestigia, quibus concludere liceat etiam Babrium eidem ea tribuisse. Vt enim ad fabulam illam Babr. 115 redeamus, non id solum, quod et Babrius et Phaedrus hanc ipsam fabulam e naturali historia petitam ex fonte graeco transtulerunt, satis firmum nobis est argumentum, ut comprobemus eam ex sylloga Aesopea haustam esse. Quod autem poëta fragmenti dactylici 11 idem tractauit argumentum, inde haud dubie concluditur fabulam 115 in priore Babrii libro, cuius argumenta ex Aesopi libro sumpsit, locum habuisse. Ex iis enim, quae in priore capite disputata sunt, credo

elucere poëtas fragmentorum dactylicorum prioris solius Babrii libri fabulas imitatos esse. Hac ipsa igitur ex re erui potest paradoxa etiam in sylloga Aesopea Babrii lecta esse. Restat igitur ut uideamus quae potissimum argumenta Babrio cum scriptoribus historiae naturalis communia ad fontem illum secundarium, ut ita dicam, Aesopeum referenda eamque ipsam ob rem in priore auctoris nostri libello reponenda sint. Fabulis Babrianis peruolutis haec esse uidebuntur: 5, 14, 35, 39, 111, 118, 123, quorum 14, 35, 39, 118 etiam a Crusio (in encyclopaedia Wissowae, II, pag. 2663—4) ad fontem a scriptore naturalis historiae et paradoxorum compositum relata sunt.

Rutherfordius auctore G. C. Lewisio notauit argumentum fabulae 5 a Pausania IX, 22, § 4 et Plinio hist. nat. X, 24 commemorari. Pausanias breuiter id solum animaduertit gallos Tanagraeos pugnaces esse. Si autem locum Plinianum adierimus, multa inueniemus, quae in fabula Babrii recurrunt. Vt de uersibus Babr. 3—4: »τούτων ὁ λειφθείς (τραυμάτων γὰρ ἦν πλήρης) ἔκυπτ' ἐς οἴκου γωνίην ὑπ'αἰσχύνης·» haud dubie monent Plinii: »uictus occultatur silens aegreque seruitium patitur» et de uers. 5—6 Babrii: »ὁ δ'ἄλλος εὐθὺς εἰς τὸ δῶμα πηδήσας ἐπικροτῶν τε τοῖς πτεροῖς ἐκεκράγει.» Plinii: »quod si palma contingit, statim in uictoria canunt seque ipsi principes testantur». Eundem fere quem his locis fontem etiam narrationibus quibusdam Aeliani subesse suspicor. Ex fragmento 186 (pag. 451 editionis Hercheri): »ἀλεκτρυόνα ἀθλητὴν Ταναγραῖον» facile apparet etiam auctorem Aeliani litteris prodidisse gallos Tanagraeos pugnacissimos esse, et nat. an. IV, 29 locum inueni, qui quamquam non de gallo Tanagraeo solo agit, tamen tantam cum uersibus Babrianis et loco Pliniano similitudinem praebet, ut non possit non cum

iis quodam modo cohaerere; leguntur enim: »ἀλεκτρυὼν ἡττηθεὶς ὑπὸ τῆς αἰδοῦς καταδύεται, κρατήσας δὲ γαῦρός ἐστι καὶ ὑψαυχενεῖ καὶ κυδρουμένῳ ἔοικεν». Vnde apparere credo narrationibus Babrii, Plinii, Aeliani inter se congruentibus contineri fundamentum aliquod commune, quod ab auctore quodam naturalis historiae inuentum postea etiam in libros Aesopeos nonnullos in fabulam commutatum irrepserit. Quod enim fabula Babrii exeunte aquilâ gallum uictorem aufert, ut uictus aemulo summoto gallinis imperitet, id haud dubie aut ab auctore, qui argumentum in librum Aesopeum e collectione historiarum naturalium transtulit, aut ab ipso Babrio adiectum est.

Crusius in encyclopaedia Pauly- Wissowae II, 2663 notauit fabulam Babr. 14 apud Aelianum nat. an. V, 49 recurrere. Operae pretium erit uidere, quomodo idem argumentum in usum diuersum conuerterint fabulator et auctor historiae naturalis. Non dubito quin hoc argumentum primo in ore populi ortum deinde ab auctore aliquo naturalis historiae aut paradoxographo in collectionem narrationum mirabilium acceptum sit. Aelianus igitur quum copiose de animalibus gregalibus suis mortuis honorem tribuentibus disputat, huic narrationi coniungit argumentum, quo dicuntur ursi adeo a mortuis abhorrere, ut ne uenatores quidem mortem simulantes uiolent. Haec duo argumenta parum feliciter ab Aeliano inter se connexa esse facile est intelligere. Babrius autem uel potius fortasse auctor eius quum uulpem secundas partes agentem induxit et dictum illud in fine fabulae positum ei tribuit, quo sententia moralis apta narrationi adiceretur, hoc modo argumentum ex historia naturali haud dubie sumptum in fabulam transformauit. Eadem fere quae de hac fabula etiam de Babr. 35, cuius argumentum a Plinio nat. hist. VIII, 216 et Oppiano Cyneg. II, 605 tractari ani-

maduertit Crusius (in encyclopaedia Wissowae II, pag. 2664), et de Babr. 39, quae eodem auctore in Aeliani nat. an. V, 48 recurrit, dici possunt.

Fabulam Babr. 111 ab Aeliano nat. an. VII, 42 et Plutarcho soll. an. 16 pag. 971 narrari in editione Crusii pag. 101 notatum est. Quod apud Babrium ipse mercator, qui asinum agit, apud Aelianum et Plutarchum Thales Milesius consilium callidum, quo asellum ulcisceretur, inuenit, animaduerti potest Thaletem a scriptoribus historiae naturalis et paradoxorum saepius praecepta proferentem introduci. Vt Plutarchus in conuiuio Septem Sapientium VII, 149 (cf. Burmannum, pag. 158) Thaletem ea ipsa monentem inducit, quae Phaedrus III, 3 Aesopo tribuit. Vnde nescio an concludendum sit tales narrationes quum in scriptis naturalis historiae et paradoxorum haud raro aut Thaleti aut aliis uiris clarissimis tribuerentur, postea in syllogam Aesopeam acceptas aut Aesopo, si fabulae (ut erat in exemplari Phaedri) ad uitam Aesopi directae proferebantur, ascriptas esse aut nullo auctoris nomine apposito (ut in exemplari Babrii fuisse apparet) esse prolatas. Ceterum talia argumenta editoribus librorum Aesopeorum non fama modo cognita fuisse, sed re uera saepissime ex ipsis collectionibus naturalis historiae et paradoxorum in syllogas Aesopeas satis ad uerba ab iis translata esse comprobare uidentur Aeliani nat. an. VII, 42: »διὰ ποταμοῦ ἰὼν ἡμίονος κατὰ τύχην κατώλισθε καὶ περιετράπη. βραχέντες οὖν οἱ ἅλες κατετάκησαν καὶ κοῦφος ὁ ὀρεὺς γενόμενος ἥσθη.» = Babr. 111, 5: »ὤλισθεν ἄκων εἴς τι ῥεῖθρον ἐξαίφνης, καὶ συντακέντων τῶν ἁλῶν ἐλαφρύνθη». De argumento Babr. fab. 118 Crusius in encyclopaedia Wissowae II, 2664 animaduertit etiam Antipatrum Sidonium (Anth. Pal. VII, 210) idem afferre.

Argumentum fab. Babr. 123 Aristophani (Vesp. 762), Plutarcho (de cup. diu. 7 Mor. p. 526 B), Plinio (nat. hist. VIII, 82), Antiphilo Byzantino (Anthol. Pal. IX, 310) cognitum fuisse ea probant, quae luculenter Crusius (Phil. LIII p. 245) disputauit. Quod ad patriam fabellae attinet, nescio an recte Keller (l. l. pag. 347) argumentum ad originem indicam rettulisse possit. Ad eandem narrationem primigeniam etiam Phaedri III, 12 pertinere mihi uidetur et eo probabilius fit, quod teste Burmanno (pag. 184) Cuperus in Monum. Antiq. p. 200 docuit »ueteres per pullos intellexisse gallos gallinaceos». Phaedrus igitur cum Aristophane, qui et ipse gallum gallinaceum inducit, magis quam cum ceteris auctoribus, qui idem tangunt argumentum, congruit. Has igitur omnes fabulas, quum et ad quaestiones historiae naturalis, cuius generis fabulas in syllogis Aesopeis antiquis lectas esse demonstrauisse mihi uideor, pertineant et ab auctoribus naturalis historiae plerumque narrationibus proferantur, quae similitudinem cum Babrianis praebent, ex collectione Aesopea a Babrio haustas esse statuo et in libro Babrii priore reponendas esse censeo.

Quum de fonte Phaedri Aesopeo disputatio erat, uidebamus eum fabulas apud Aesopum inuenisse, quae uitam prudenti consilio monerent, et quae risum legentium mouerent. Monui hoc genus de γελοίοις, illud de mythis intelligendum esse. Quum autem argumenta Phaedri ex Aesopo sumpta perscrutaremur, apparuit argumenta illa ridicula nulla alia esse posse quam ea, quae eadem ex historia naturali sumpta erant, cui sententiae etiam Crusius (Rhen. Mus. XXXIX, pag. 605) de Phaedri I, 26 saltem accedere uidebatur. Quod igitur Phaedrus ea sola argumenta e posteriore parte syllogeis Aesopeae petiuit, haud dubie de condicione fontis eius testatur. Hausrathius (neue Jahrb. 1898, pag. 309)

contendit ad numerum primigenium fabularum, quem omnibus fere collectionibus Aesopeis communem fuisse supra probatum est, primum accessisse narrationes ad uitam animalium et plantarum pertinentes ex paradoxographis plerumque sumptas. Phaedrus quum in his solis argumentis risum mouentibus tractandis uersetur, haud dubie declarat se librum Aesopeum antiquiorem, quo talia sola argumenta ad risum pertinentia continebantur, in usum conuertisse. Babrius quum duobus certe saeculis post Phaedrum libellum suum conscriberet, multo ampliorem Aesopi γελοίων copiam adhibuerit necesse est. Hausrathius (l. l. pag. 309) post paradoxa e collectionibus apophthegmatum facete et salse dicta omnium generum in libros Aesopeos irrepsisse docet. Id tamen iam satis antiquo tempore factum esse inde colligere licet, quod iam Aristophanes Aesopi γελοίων nomen ad id genus dictorum transtulit, ut uidit Hausrathius l. l. scribens: »Neben dem λόγος und μῦθος Αἰσώπειος steht bei Aristophanes die Bezeichnung Αἰσώπου γέλοιον, die für kurze Witzworte gebraucht wird, als deren Schöpfer ebenfalls Äsop galt». Phaedrus igitur collectionem si non incorruptiorem, minorem certe fabularum generum numerum continentem quam Aristophanes cognouisse uidetur. Quo nescio an id quoque pertineat quod Aesopi fabulas paucas fuisse dicit. Aristophanem autem Aesopo argumenta non eorum modo generum, quae apud Phaedrum occurrunt, ascripsisse ex ipsis iis exemplis, quae affert, facile concluditur. Praeter mythos et γέλοια Aesopi aliud quoque genus fabularum »Συβαριτικῶν» inducit, quod ab Aesopi »γελοίοις» non multum distare recte uidit Hausrath. l. l. pag. 309. Ceterum Aristophanes nomine γελοίων omnia genera facetiarum et apophthegmatum comprehendisse uidetur. Ne ceteros quidem auctores

antiquos magnum inter γέλοια Aesopi et dicta similia ut Sybaritica discrimen statuisse inde facile colligitur, quod haec quoque cum nomine et uita Aesopi connectebantur, ut ex loco Hesychii (quem me in libro Kelleri pag. 360 inuenisse confiteor) apparere uidetur: »Συβαριτικοὶ λόγοι· τὸν γὰρ Αἴσωπον ἐν Ἰταλίᾳ γενόμενον σπουδασθῆναι σφόδρα φασίν, ὡς καὶ τὸ τῶν λόγων αὐτοῦ ἐπιδαψελεῦσαι». Keller l. l. pag. 317 Aristoph. Vesp. 566, 1258, Hesych. s. Αἰσώπου γελοίοις, Auian. fab. praef. nisus etiam contendit fabulas uniuerse propter haec collectionum Aesopearum incorruptarum additamenta posteriora appellatas esse »γέλοια». Ibidem uir doctus naturam talium dictorum scite hunc in modum describit: »Uebrigens bewegten sich derartige Schwänke sehr oft keineswegs in der phantastischen Märchenwelt des echt Aesopischen λόγος, sondern sie waren einfach aus dem nüchternen Menschenleben aufgegriffen und durften sich weder dem Stoffe noch der Ausfürung nach jenen eigentlich poëtischen Producten an die Seite stellen. Statt der behaglichen Breite und des ruhigen Flusses der märchenhaften Fabel finden wir hier meistenteils eine epigrammatische Hast und Knappheit, woraus uns im ersten Momente klar wird, dass wir es weniger mit einem Dichter als vielmehr mit einem Witzmacher zu thun haben». Quantam copiam fabularum et γελοίων Aesopeorum Aristophanes nobis prodiderit, ex iis uidere licet, quae de fabularum reliquiis apud Aristophanem inuentis conscripsit J. Denis, De la fable dans l'antiquité classique (pag. 15—18). Iam per se facile apparet Aristophanem haec omnia apophthegmata et facete dicta non temere Aesopo ascribere potuisse, sed ea in libello eius auctoris nomine prolato exstitisse, unde de memoria fortasse, quae utilia inuenerat, in usum suum conuertit. Cuius sententiae

probabilitatem maiorem id facit, quod etiam apud ceteros auctores antiquos nonnumquam occurrunt dicta, quae in antiquitate uulgo cognita fuisse uidentur et cum γελοίοις Aesopeis Aristophanis conferri possunt, ut Hor. Ep. II, 2, 215—16, ne de fragmentis Archilochiis moneam. Etiam in collectionibus pedestri sermone fabulas proferentibus multa narrari argumenta, quae facetiis illis ab Aristophane Aesopo ascriptis quam proxime accedunt, recte uidit Hausrathius l. l. pag. 310. Apophthegmata illa haud contemnendum in syllogis Aesopeis spatium obtinuisse, ut simul cum argumentis similibus alteram partem earum efficere possent, ea tamen re quam maxime mihi probari uidetur, quod Kellero teste (l. l. pag. 384 s. l.) Demetrius Phalereus quoque et fabulas et apophthegmata collegit et in unum congessit. Non dubito quin quum id faceret, ad imitandum sibi proposuerit ipsas illas collectiones Aesopeas, quae iam tum erant, et eas eadem argumentorum genera amplexas. Quod ex ipsa operis eius inscriptione »λόγων Αἰσωπείων συναγωγαί» apparere debet. Quum enim his uerbis se ex diuersis syllogis Aesopeis tantum argumenta coegisse profiteatur, sequitur eum etiam apophthegmata in iisdem fontibus inuenisse. Vt autem quum de argumentis ex historia naturali sumptis disputatio erat, probatum est collectiones Aesopeas in iisdem argumentis afferendis non inter se concinisse, ita idem de γελοίοις sic proprie dictis obseruari potest. Neque Aristophanes in γελοίοις proferendis cum ullo alio auctore nisi perraro congruit, neque ea, quae in collectionibus pedestri sermone seruatis nobis exstant ad hoc genus referenda, aliis litterarum antiquarum locis inueniri solent. Quae quum ita sint, ne de Babrio quidem exspectari potest eum in γελοίοις Aesopi proferendis cum aliis scriptoribus nisi raro congruere. Id igitur

solum nobis restat, ut ex natura et genere argumentorum concludamus quae huc referri possint. Nam iam per se facile apparet hanc quoque partem collectionum Aesopearum artem uersificatoris ad argumenta metro includenda inuitare potuisse tanto magis, quod in fonte Babrii, quem labente fere antiquitate uixisse satis constat, magnam copiam talium facetiarum congestam esse credendum est. Quae autem ex Aesopi γελοίοις sumpta a Babrio uersibus inclusa erant, ea etiam in libro priore auctoris lecta esse ex iis, quae supra disputata sunt, apparet. Nam is quidem inter genera fabularum Aesopearum diuersa nullum statuit discrimen, sed omnia promiscue in usum suum adhibuit. Libellum Babrianum si peruoluerimus, hae imprimis fabulae ad Aesopi γέλοια pertinere posse uidentur: 8, 60, 80, 81, 87, 90, 96, 100, 109, 110. Quas fabulas si perlegeris, inuenias iis omnibus inesse aliquod salse dictum, in quo tamquam cardine uertitur tota narratio. Quod neglexerunt uiri docti, qui nonnullas harum fabularum aut decurtatas aut iniuria Babrio addictas esse statuerunt, ut Babr. 8, 60, 80, 81, 87, 90, 100, 110 Rutherfordius aut dubitat sintne Babrio dignae aut decurtatas eas esse censet; apud Crusium (Babr. aet. pag. 167) inuenio etiam Eberhardium fab. 8 ab epitomatore decurtatam esse contendisse. Haud negauerim tetrastichistam unam alteramue harum fabularum breuiorem facere potuisse, sed ipsa natura argumentorum apparet earum narrationes et in exemplari poëtae breuibus uerbis conscriptas exstitisse et ab ipso paucis uersibus perficiendas fuisse. Quod primum ad Babr. 8 attinet, Crusius (Babr. aet. pag. 167) sententia responsi cameli recte explicata omnes difficultates sustulisse mihi uidetur. Deinde magnum ad rem diiudicandam adiumentum fabulis pedestri sermone scriptis offerri credo, quae si paraphrases Babri-

anarum sunt, de uera earum forma testari posse uidentur (nam tetrastichistae fabulas a paraphrastis tractatas esse quis credat?), sin autem a poëta nostro non pendent, ad exemplarium antiquiorum narrandi rationem illustrandam pertinere debent. Si igitur fabulas Babr. 8, 100, 110, quae prosa oratione scriptae nusquam exstant, praetermiserimus, fabulae Halm. 292 (Babr. 60), 182 (Babr. 80); 229 (Babr. 87), 252 (Babr. 90), 135 (Babr. 96), 187 (Babr. 109) omnes perbreues proferuntur, Halm. 43 (Babr. 81) sola a breuitate Babrianae abhorret, quam ob rem hanc fabulam re uera a tetrastichista decurtatam esse cum Rutherfordio statuerim. Etiam symmetria, quae in compositione fabulae inest, mihi suspecta esse uidetur. Duo tribuuntur uersus uulpi, duo simiae. Si tetrasticha ea, quae collegit Crusius (ed. pag. 264—296) perlegeris, inuenias paucis exceptis unum quemque fere uersum per se legi ita, ut aut interpuncto aut signo citandi a ceteris diuidatur. Quoniam eadem ratione Babrii 81 scripta est, etiam eam a tetrastichista breuiorem factam esse censeo.

Fabulas supra enumeratas perlustrantibus admirationem nobis iniciat necesse est quod earum duae iam ab Archilocho narratae esse uidentur. Crusius proleg. pag. XXXII dubitat »utrum iamborum libros ipsos Archilochi poëta prae manu habuerit, an fabellarum exempla excerpta legerit.» Quarum duarum suspicionum equidem nullam pro uera acceperim. Inter uiros doctos id satis constare uidetur neque Archilochum neque, qui ei aetate et patria, prope dicam, proximus erat, Simonidem Amorginum fabulas, quas carminibus suis crebro immiscuerunt, ipsos finxisse, sed e copia quadam omnibus reclusa argumentorum, quae a gente ionica paene ad sermonem quotidianum exornandum adhibebantur, sibi sumpsisse (cf. Keller. pag. 382, Neubner. pag. 21 sqq.).

Quum autem id proprium esset librorum Aesopi, ut fabulas reciperent, quae a populo uulgo narrabantur, mirum uideri non potest Babrium in fonte suo argumenta inuenisse, quae eadem Archilocho cognita erant. Re uera ita factum esse argumento satis manifesto probari posse credo.

Fragmento Archilochi 86 Bgk. idem argumentum contineri, quod est Babr. 100, sine dubio recte statuerunt uiri docti ut Huschkius, Grauertus (quorum sententias e libris Neubneri et Crusii cognoui), Bergkius, Crusius. Quod de animalibus partes agentibus inter se discordant auctores, ut Archilochus ceterique, qui eandem fabulam narrant, uulpem, Babrius leonem inducat, uidimus, quum de fabulis Phaedri et Babrii communibus disputatio erat, talem auctorum de personis dissensionem satis frequenter inueniri. Archilochus quum hanc fabulam narraturus a uerbis »αἶνός τις ἀνθρώπων ὅδε» incipit, haud dubie ostendit se argumentum, quod a popularibus eius uulgo narrabatur necdum in ullo libro legi poterat, attulisse, quod etiam monuit Neubner (pag. 9). Quod autem Aristophanes au. 651 eandem fabulam uel potius γέλοιον Aesopi esse dicit (cf. Neubner. pag. 9, Keller. pag. 382), inde facile concluditur Aesopum uel auctores, qui sub eius nomine latent, ea, quae a populo narrari audiuerant, in libros suos recepisse. Quum igitur satis probatum uideatur esse in libris Aesopi exstitisse argumenta, quae eadem Archilocho cognita erant, necesse non erit cum Crusio statuere Babrium aut libros ipsos Archilochi aut excerpta eorum adhibuisse, sed contra eum contendendum esse censeo et fabulam 100 et 81, cuius argumentum fragmento Archilochi 89 Bgk. (cf. disputationem Bergkii Poët. Lyr. II, 708) tractari uiderunt Crusius et alii, a Babrio e fonte Aesopeo translatas esse.

De aliis, quas enumeraui, fabulis indagari potest iis subesse sententias in antiquitate adeo uulgatas, ut mirum uideri non possit eas in libris popularibus, quales erant Aesopi, legi potuisse. Ad hoc genus fabularum 60 et 87 referendas esse censeo. K. Bürger (Herm. XXVII pag. 359) satis scite ostendit in collectionibus fabularum saepe inueniri narrationes ex prouerbiorum genere, quod uocant adagia cum epilogo coniuncta, refictas. Exemplis, quae eodem loco affert, efficit ut appareat has fabulas plerumque ita scriptas esse, ut epilogus ante prouerbium positus ordinem narrandi exemplari, quod subest, contrarium efficeret. Quum fabulam Babr. 60 hoc modo ortam esse ostenderit Bürger (etiam Hausrathium pag. 311 eandem fabulam ad adagium epilogicum compositam esse statuisse uideo) et fabula 87 compositione huic simillima sit, mihi persuasi talia adagia, quorum forma usui populari maxime apta erat, et quae quasi transitum inter prouerbia et fabulas effecisse uidentur, nonnulla forma tantum mutata etiam in fonte Aesopeo Babrii locum habuisse. Inter Aesopi γέλοια apte ea collocari potuisse eo probabilius mihi esse uidetur, quod ipso argumento (ut uidit etiam Hausrathius l. l. pag. 310) magnam cum dictis illis Sybariticis similitudinem prae se ferunt. Quoniam autem apud Halm. (292, 229) fabulae eodem narrandi ordine quo apud Babrium proferuntur, ut adagium post epilogum positum quasi conclusionem fabularum efficiat, inde credo apparere iam in fonte antiquiore idem factum esse. Tamen eam ob rem non contenderim in syllogis Aesopeis omnibus adagia cum epilogo coniuncta in fabulas eo modo mutata esse. E contrario auctores, qui ea proferunt, plerique prouerbiorum loco quum ea adhibeant, testari uidentur adagiorum formam his argumentis magis quam fabularum conuenire. Quum autem fabulae exstent prosa oratione conscriptae, quae Babrii

prope accedunt, non dubito quin Babrius fabulas ex fonte Aesopeo satis ad uerba transscripsisse possit. Prouerbia, quae fabulis, quas dixi, subsunt, aut sine aut cum epilogo prolata quam saepissime in usum collata sunt. Bürger l. l. pag. 361 monet adagium, quod Babrii fabulae 60 subest, adhiberi a Bione (p. 11, 3 Hense), Cicerone (Tuscul. V, 118), Lucretio III, 938, Plutarcho (Consol. ad Apoll. 34 pag. 120 B), Horatio Ep. II, 2, 215—16, quorum locorum Horatianus maxime cum fabula Babriana congruit. Fabulam Babr. 87 eodem fere modo quo 60 epilogo ante adagium posito compositam esse credo. Ipsum adagium auctore Crusio (ed. 76) Soph. fragm. 800 Nck[2] et schol. Ar. eq. 1028 inuenire licet: »σαίνεις δάκνουσα καὶ κύων λήθαργος εἶ». Ex his argumentis noua rursus prouerbia temporibus diuersis orta esse credo, quorum in numero duco Epicureum illud »γλυκὺ μέλι καὶ πνιξάτω», quod ipsi fabulae subesse statuit Rutherfordius (proleg. pag. XLV) et Diogeniani 4, 53 »ἐν μέλιτι σαυτὸν καταπάττεις (cf. Ruth. l. l.) e fabula 60 orta; ad fabulam 87 Rutherfordius (prol. pag. XLVI) rettulit Zenobii IV, 90 »λήθαργος κύων· ὁ προσσαίνων μέν, λάθρα δὲ δάκνων». Non dubito quin etiam aliae fabularum, quas enumeraui, eandem originem prae se ferre possint, sed quoniam adagia, ad quae referrentur, inuenire non licuit, melius mihi uisum est nihil de iis pro certo statuere.

Vt summam eorum, quae supra disputata sunt, breuiter comprehendam, altera pars collectionum Aesopearum partim paradoxa ex historia naturali sumpta, partim apophthegmata et facete dicta, quae proprie γέλοια Aesopi appellabantur, continuit. Phaedrus syllogam, cuius pars altera paradoxa illa sola amplectebatur, adhibuisse uidetur, Babrius autem, qui multis annis post fuit, in fonte suo et paradoxa et apophthegmata omnium fere generum inuenit.

De fabulis nonnullis, quae quamquam ad genera supra tractata non pertinent, tamen causis diuersis ad Aesopum et librum Babrii priorem transferendae sunt.

His expositis transeo ad fabulas quasdam singulatim tractandas, quae quamquam neque apud Phaedrum neque in fragmentis dactylicis uersibus inclusis inueniuntur, neque una excepta ad argumenta historiae naturalis aut ad Aesopi γέλοια apte referri possunt, tamen et ipsis argumentis et genere narrandi uere Aesopeae esse uidentur. Nudam et simplicem argumenti expositionem prae se ferunt fabulae, neque in iis uestigium inest ullum rhetorum scribendi artis. Deinde quum generibus illis duobus fabularum antiquioribus, quibus compendium Aesopeum primigenium compositum erat, earum longe plures apte tribui possint, atque ex parte ab auctoribus antiquioris aeui commemorentur aut eis alludatur, etiam hae fabulae e collectione Aesopea a Babrio translatae esse uidentur: 26, 47, 74, 97, 105, 130. Quarum 74 et 105 ad primum illum ab Hausrathio constitutum ordinem pertinent fabularum, quo praeceptum morale ad uitam quotidianam pertinens continetur. Vt in fabulis Aesopi fuisse statuit Vandaele l. l. pag. 32, conclusio harum fabularum iusta atque naturalis ita profertur, ut hanc ipsam ob causam fictae esse uideantur, qua de re cf. fab. 74, 15—17:

διὸ δυσκολαίνει, Βράγχε, πᾶς ὁ γηράσας,
καὶ τὸν διδόντα τὴν τροφὴν μόνον σαίνει,
ἀεὶ δ'ὑλακτεῖ, καὶ ξένοισιν οὐ χαίρει.

De quibus uersibus nescio an animaduertendum sit etiam ex fabula Babrii 66, quam Aesopeam esse demonstratum est, conclusionem eodem fere modo (cf. διό μοι δοκοῦσι κτλ.) protrahi. Secundo Hausrathii fabularum generi haud dubie tribuendae sunt 26, 47, 97, 130, quo genere narrationes merae praecepto illo morali primi generis carentes delectationi soli legentium accommodatae sunt. Fabulam 26 solam causis, credo, probabilibus commotus tertio generi tribuo. Hac fabula 26, ut de argumento ex historia naturali petito exspectari potest, excepta in collectione Halmii expositiones eorundem argumentorum inueniuntur, quae quum nulla uestigia praebeant, quibus concludere liceat eas paraphrases esse Babrianarum, tamen minutiis nonnullis praetermissis cum Babrio satis congruunt, ut colligendum sit iis formam eandem primigeniam atque Babrianis subesse. Sunt Halm. 103, 173, 262, 279, 317.

Vt originem fab. 26 inueniamus, magnum adiumentum nobis afferre credo uersum 10, in quo argumento illi, quod est de bello gruum et Pygmaeorum, alluditur. Rutherfordius in commentario pag. 32 monet illam historiam ab Homero (Il. 3, 3), Aristotele, Strabone, Gellio, Athenaeo, Oppiano commemorari. Addere uelim nos scholio ad locum illum Homeri certiores fieri etiam Hecataeum Milesium bellum idem descripsisse, quocum auctore Juuenalis (sat. XIII, 167) in eadem re narranda congruere uidetur. Sed quoniam apud Babrium tantum huic bello alluditur neque in eo argumento uersatur narratio, fontem communem ab auctoribus illis et Babrio adhibitum esse statuere prohibemur. Aliunde igitur fabulae origo petenda est. Si libros Aeliani peruoluerimus, apparebit eum auctorem in uita gruum describenda multum esse. Nat. An. III, 13 discimus grues per aestatem in patria i. e. Thracia manere, auctumno autem in Aegyptum et

Libyam iter facere. Etiam Aristophanes, qui aliam de grue historiam respexisse uidetur, aues illas sementi perniciem afferentes auctumno in Libyam proficisci docet, cf. au. 710: »σπείρειν μέν, ὅταν γέρανος κρώζουσ'ἐς τὴν Λιβύην, μεταχώρη». Hinc haud dubie explicandum est epitheton illud »Λίβυσσα», quod grui addit Babrius (65), neque Kellero l. l. pag. 358 assentiendum esse censeo gruem ita appellatam esse, quod Babrius argumentum e collectione fabularum Cybissae petiuisset. Hanc gruum peregrinationem, quam agmine constituto eas facere eodem loco Aelianus narrat, animos et poëtarum et auctorum naturalis historiae allicere potuisse facile est intelligere. Quod grues agmine uolant, inde iam aetate Homeri concluserunt homines eas in bellum proficisci. Inde igitur illa de bello gruum et Pygmaeorum historia. Nam explicationem Aeliani (nat. an. XV, 29) ab ipso confictam esse censeo. Auctores autem naturalis historiae quum causam peregrinationis gruum exponere uellent, ei plurimum rei tribuisse mihi uidentur, quod hieme grues in terris sub septentrionibus sitis alimenta inuenire non possunt. Cui rei conuenienter Aelianus (nat. an. II, 1) docet eas, quum in Aegyptum uenerint, »σπείροντας τοὺς Αἰγυπτίους καταλαμβάνειν.» Sed simile fere argumentum est etiam fabulae Babrii (cf. τὴν χώρην ἐσπαρμένην πυρίνῳ σίτῳ). Narrationem igitur, quae cur grues e terris septentrionalibus in Africam fugerent, illustraret, nonnullis fortasse mutatis etiam in syllogam Aesopeam e collectione naturalis historiae, quamquam in scriptis nobis seruatis eam inuenire non licet, irrepsisse indeque a Babrio petitam esse facile credo.

Fabulam 47 e collectione sophistarum a Babrio haustam esse Crusius (in encyclopaedia Pauly-Wissowae pag. 2662) narratione, quam Plutarchus (de garrul. 17 p. 511 C) de Sciluro profert, commotus coniecit. Quoniam

autem Plutarcho multa cum collectionibus Aesopeis communia fuisse supra uidimus et narrationes Plutarchi et Babrii et inter se et cum Halm. 103 et argumento et uerbis congruunt et ars narrandi sincera et simplex Aesopea esse uidetur, mihi persuasi congruentiam illam potius fonti Aesopeo quam collectionibus rhetorum deberi.

Si uera esset eorum sententia, qui statuunt Brancho alteri puero librum priorem, alteri filio Alexandri regis posteriorem missum esse, iam ea ipsa re comprobatum esset fabulam 74 ad Babrii librum priorem pertinere, quum in ea Babrius Branchum alloquatur. Sed iam supra animaduerti inuerisimile esse Branchum non eundem esse atque filium Alexandri regis, quam ob rem id argumentum non satis ad rem nostram comprobandam ualet. Quum autem in libro 2 non tam ad institutionem pueri respexisse uideatur quam gloriam suam assequi studuisse, probabilius esse crediderim eum in libro priore talem allocutionem, quae hoc solo loco occurrit, quam in posteriore protulisse.

Vt fabulam 47, ita etiam 130, quam eandem a Xenophonte Memorab. II, 7, 13 narrari docet Crusius (encycl. Pauly-Wissowae II, pag. 2662), collectioni Aesopeae antiquae adscribo, quamquam id quidem nullo modo ignoro Theonem sophistam hanc ipsam fabulam discipulis commendare enarrandam et diligentius tractandam, unde conclusit Crusius l. l. eam ex collectione rhetorum quadam haustam esse. Ex ipsis autem Xenophontis uerbis credo erui posse fabulae argumentum antiquissimum esse et iam in sylloge Aesopea exstitisse. Quod enim eam inducit uerbis: »φασὶ γάρ, ὅτε φωνήεντα ἦν τὰ ζῷα κτλ.», iam supra monui uerisimile esse collectionibus Aesopeis talia prooemii fere loco praeposita esse. Etiam uerba »φασὶ γάρ» satis testantur Xenophontis aetate fabulam uulgo narrari, ut plerumque argumenta collectionum

Aesopearum peruulgata esse uidimus. Ex sylloge autem Aesopea et Xenophontem et Babrium argumentum tractandum sibi sumpsisse e congruentia auctorum concludo. Quod Crusius ed. pag. 115 eadem causa commotus conclusit Babrium tantum narrationem Xenophontis uersibus transscripsisse, monendum esse censeo Babrium exempla, de quibus Theo (W. I, p. 159) disputat, non ex ipsis auctoribus, sed e collectione exemplorum rhetoris nescio cuius, ut statuit ipse Crusius (proleg. XXXII), petiuisse. Quum autem a rhetoribus fabulae semper normae alicui constitutae accommodarentur neque forma primigenia salua narrandi ratione proferri solerent, mihi audacius uisum est statuere congruentiam Xenophontis et Babrii arti rhetorum deberi.

Has potissimum fabulas habui, quas causis diuersis commotus iam in sylloge Aesopea antiqua ab auctore nostro adhibita exstitisse eamque ob rem in libro Babrii priore reponendas esse crederem. Vt rem clariorem reddam, in exitu huius capitis iam omnes adhuc tractatas in unum congeram. Hae sunt: 3, 5, 8, 14, 16, 17, 19, 22, 24, 25, 26, 27, 28, 29, 31, 35, 36, 38, 39, 43, 47, 50, 60, 64, 66, 67, 72, 74, 75, 77, 78, 79, 80, 81, 82, 84, 86, 87, 89, 90, 93, 94, 96, 97, 99, 100, 102, 103, 105, 107, 108, 109, 110, 111, 115, 118, 121, 122, 123, 130, 131, 137. Quas omnes simplicitate Aesopea compositas esse, ueramque plerumque antiquissimarum graecarum fabularum condicionem prae se ferre ita, ut iure ad librum talem popularem, qualem descripsit Hausrathius, referri possint, satis credo me argumentis et ex ipsis fabulis petitis et iis inter se comparatis euicisse.

II.

De fabulis ad artem sophistarum referendis.

De Babrio progymnasmatum rhetorum posteriorum imitatore.

Praeter libros Aesopi populares alias quoque fabularum collectiones usui scholarum compositas manibus hominum posterioris certe antiquitatis tritas esse Hausrathius l. l. pag. 312 sqq. demonstrauit. E prooemio Babrii II profectus Crusius (Pauly-Wissowae encycl. II, 2662) recte uidit poëtam et in ipso prologo et in fabulis, quae ad eum pertinent, conscribendis fontem posterioris aetatis ad usum rhetorum accommodatum adhibuisse. Idem uir doctus (proleg. editionis, pag. XXXII) longius etiam progressus loco quodam Theonis rhetoris (cap. 2, pag. 159 Walz.) nisus statuit Babrium ab eodem fabularum et exemplorum fonte atque Theonem rhetorem pendere. Babrium sectam Theonis rhetoris secutum esse posse haud improbabile faciunt ea, quae ad aetatem huius rhetoris accuratius definiendam a uiris doctis disputata sunt. Iam satis constare uidetur Theonem inter progymnasmatum auctores primarium locum obtinere neque ulli eorum obnoxium esse, ut iam inde eum aetate ceteros superare concludere liceat. Eum Aphthonio saltem superiorem esse iam Ioannes Scheffer (Walz., Rhet. graec. pag. 139) inde colligit, quod ipso auctore primus usus progymnasmatum singulorum definiuerit, Aphthonius autem in scriptis suis idem fecerit. Aliquantum ad probandum etiam id Schefferi argumentum (idem affert etiam Hoppichler »De Theone, Hermogene Aphthonioque progymnasmatum auctoribus», pag. 27) ualet, quod a Theone sicut ab Hermogene uno capite com-

prehensae tractantur ἀνασκευή et κατασκευή itemque ἐγκώμιον et ψόγος, quae testimonio Tzetzis (de quo uide Hoppichler. pag. 19) posteriore tempore seorsum tractauit Aphthonius. Etiam Hermogene Theonem superiorem esse satis dilucide Hoppichler l. l. pag. 27 sqq. comprobauisse uidetur iis potissimum argumentis nisus, quod Theo pleniora protulit praecepta, quae ceteri magis magisque contraxerunt, et quod Theo quum Hermogoram et Theodorum Gadareum obscuros sane sophistas commemorauisset, mentionem et Aphthonii et Hermogenis rhetorum clarissimorum facere omisit. Idem Hoppichler l. l. pag. 23 recte mihi uidetur repperisse Hermogenem anno 175 post Christum a Marco Aurelio, qui eo ipso tempore in orientem profectus esset, ut seditionem Auidii Cassii reprimeret, auditum esse. Sequitur ut Theo ante id tempus progymnasmata sua conscripserit. Quod Hoppichler animaduertit se omnia praeexercitamenta Theonis a Quintiliano commemorata esse inuenisse indeque concludit Theonem saeculo primo ante Christum exeunti et primo post Christum ineunti tribuendum esse, haec coniectura eam ob rem concidere mihi uidetur, quod quum ipso Hoppichlero auctore (pag. 28) ne Theo quidem primus progymnasmata conscripsisset, Quintilianus eadem atque Theonis praecepta etiam ex exemplaribus huius cognoscere potuit. Hac igitur coniectura praetermissa ex iis, quae supra dicta sunt, elucet Babrium, quum ipse ineunte tertio post Christum saeculo floreret, uel ipsa Theonis scripta inspicere et cognoscere potuisse. Id quidem difficultates mouere uidetur quod aetate, qua Babrium floruisse statuerunt uiri docti, sine dubio neque Theonis neque auctorum eius praeexercitamenta studia hominum allicere potuerunt. Non dubium est quin recte Walzius I pag. 139 ex codicum paucitate concluserit Theonem in antiquitate Aphthonio posthabitum

esse. Etiam progymnasmatis Hermogenis scripta Theonis cessisse inde colligendum est, quod quum Theo auctoribus antiquis nobis traditis uix notus fuisse uidetur, Hermogenis et uita et scripta multis locis commemorantur (cf. Westermann. Geschichte der Beredtsamkeit, pag. 219 et 233), ad quam rem explicandam satis commode Hoppichler pag. 40 animaduertit hominibus posterioris antiquitatis magis placuisse compendia et praecepta breuiter exposita quam uberiora et accuratiora qualia Theonis. Quae quum ita sint, exspectari potuit Hermogenem eiusue imitatores potius a Babrio adhibitos esse quam Theonem. Ita non factum esse in nulla alia re positum esse potest quam, quod Babrius quum in fabulis suis conscribendis praeceptoris munere fungatur, accuratiore quam uulgus harum rerum scientia eguit. Quum enim Theonis progymnasmata magis quam ceterorum usum magistrorum respiciant (qua de re cf. Hoppichler. pag. 40), facile est intelligere eum potissimum rhetorem a Babrio ad imitandum sumptum esse posse. Quoniam autem progymnasmata rhetorum non tam ad argumenta noua inuenienda quam ad uetera retractanda pertinebant, Babrio necesse erat etiam collectionem fabularum usui rhetorum compositam, unde argumenta peteret, inuestigare. Iam monui Crusium l. l. causis grauissimis adductum coniecisse poëtam cum Theone in eodem fabularum et exemplorum fonte adhibendo consensisse. Alio autem loco (Babr. aet. pag. 228) idem uir doctus magnum fabularum numerum ad Nicostrati decamythiam referens coniecit eum a Babrio primarium fontem electum esse, cui sententiae tamen resistendum esse puto. Ipse enim locum Suidae quendam affert, quo Nicostratus Marco Aurelio imperatore uixisse dicitur, unde concludendum est eum etiam Hermogenis, a quo commemoratur (cf. Crus. l. l. pag. 228),

aequalem fuisse. Quae quum ita sint, sequitur Nicostratum Theone inferiorem fuisse. Ceterum quum Nicostratus praeter ceteros rhetorum posteriorum laude aequalium suorum celebraretur (cf. Westermann. pag. 212 Rhode, Griech. Roman, pag. 326 adn. 1), credi uix potest Theonem, qua erat diligentia in auctoribus citandis (cf. Hoppichler. pag. 27), si decamythiam adhibuisset, uiri clarissimi mentionem facere omissurum fuisse. His igitur causis adductus ne Babrium quidem decamythiam Nicostrati adhibuisse credo, sed aliam collectionem minus cognitam, unde nescio an ipse Nicostratus ea, quae eum cum Babrio communia habere inuenit Crusius hauserit.

Vt collectiones populares Aesopeas in argumentis afferendis plerumque inter se consensisse supra demonstratum est, ita idem fere de collectionibus usui rhetorum compositis ualuisse Hausrathius l. l. pag. 320 animaduertit. Non dubito quin recte e uarietatibus lectionum multarum fabularum, quas praebet Halm., et erroribus, qui magistris argumenta non intelligentibus iis insunt, concluserit exemplaria talium fabularum in fontibus omnibus manca exstitisse. Idem uir doctus pag. 321, quo certiore argumento firmaretur coniectura, monuit Pseudo-Dositheum in arte grammatica fabulas et graece et latine proferre, quarum latinas cum fabulis Romuli, paraphrastae Phaedri, quam proxime cohaerere uideri, graecas miro quodam modo cum fabulis, quae tabulis ceratis impressae Palmyrae inuentae essent, consentire.

Quibus rationibus indagari possit quae fabulae ad Babrii rhetorum posteriorum imitationem et ad librum poëtae posteriorem referendae sint.

Ne rhetores quidem in iisdem rationibus fabularum tractandarum adhibendis semper inter se concinisse eum, qui progymnasmata nobis seruata cognouerit, fugere non poterit. Hodie quoque nobis exstant fabulae quadraginta Aphthonii nomine traditae, quarum Hausrathius l. l. pag. 314 nonnullas proferens probat Aphthonium »χαρακτῆρος ἀφελοῦς» adhibendi artificem fuisse. Ex Aphthonianis Nicolaus sophista (cf. Schaefer., De Aphthonio sophista, pag. 34) decem ut παραδείγματα μύθου prompsit, quae nunc apud Walz. I, pag. 266—269 leguntur. Fabulas Aphthonii quoniam nusquam in unum congestas inuenire mihi licuit, melius uisum est ex iis, quas habet Nicolaus, de ratione scribendi Aphthoniana iudicare. Nulla earum iustum fabulae excedit modum, unde concludendum est ab Aphthonio praecepta illa, quae de fabulis extendendis et contrahendis habet Theo, non obseruata esse, neque re uera in progymnasmatis eorum mentionem facit. Quas Hausrath. l. l. pag. 314 ab Aphthonio extensas esse dicit tres fabulas, id eam ob rem factum est, quod earum exemplaria breuiora erant, quam ut rhetori placerent. Ceterum ne eae quidem modum Nicolai fabularum superant. His consideratis non dubito cum Schaefero (pag. 32) statuere Aphthonium »fabularum abusu fuisse uacuum,

cuius alii progymnasmatum scriptores uelut Hermogenes et Theo non expertes uisi essent, quum praeciperent ut fabulae omnibus deinceps casibus obliquis adhibitis mutarentur et tunc amplificarentur, tunc contraherentur». Id quoque rationis Aphthonianae proprium est, quod praeceptum morale propius etiam quam ceteri cum ipsa narratione coniungit. Iam in initio capitis primi docet fabulas a poëtis quidem inuentas esse, sed quatenus in praeceptis moralibus proferendis adhiberi coeptae essent, a rhetoribus quoque tractatas esse. Quam scribendi rationem etiam in fabulis decem, quas dixi, facile deprehendere licet. Recte Schaefer pag. 32 animaduertit iis inesse »necessariam rationem, quae inter fabulam et praeceptum intercedere deberet.» Rationem Aphthonianam in ludis rhetorum a secta propria adhibitam esse inde concludere uelim, quod, ut obseruauit Hausrath. (l. l. pag. 313 adn. 2), in collectionibus nostris prosa oratione traditis fabulae rationibus eius sophistae conscriptae permultae sunt. Quum ex progymnasmatis uideri possit Hermogenem et Theonem in capite, quod est de fabula, satis inter se congruere, facile crediderim eos principes fuisse sectae antiquioris ab Aphthoniana illa posteriore multis in rebus diuersae.

Quoniam sagacitate ingenii Crusii probatum esse uidetur Babrium in libro suo posteriore eundem fontem atque Theonem fabularum adhibuisse, etiam ea suspicio in promptu est poëtam praecepta eiusdem rhetoris in fabulis perficiendis obseruauisse, quam ob rem ad progymnasmata eius nobis pergendum est, ut indagemus quatenus in scriptis Babrii praecepta Theonis obseruata sint. Crusius quum (proleg. pag. XXXII et encycl. Wissow. II, 2662) coniecturam maximi momenti faceret, eo argumento grauissimo nisus est, quod Theo quum (cap. 2 pag. 159 W.) exempla ex auctoribus antiquis

hausta discipulis ediscenda commendat, sex fabulas enumerat, quae omnes apud Babrium recurrunt. Hac igitur ex re probabilitate maxima sequitur eas Babrii fabulas (fab. 130 sola excepta, de qua supra actum est) arti rhetorum deberi, sed non eam ob rem necesse est concludere a Babrio legem illam Theonis, quam commemoraui, et de qua etiam Hausrath. l. l. pag. 312 monuit, consulto obseruatam esse, quum ea consensio fonti Babrii et Theonis communi ascribenda sit. Si autem ad ceteras exercitationes rhetorum perspiciendas transimus, credo exemplis ex ipsis fabulis petitis ostendi posse Babrium praecepta Theonis cognouisse et obseruasse. Hausrathius l. l. p. 313 tertio gymnasmatum loco posuit legem illam, quae erat de fabulis amplificandis et contrahendis. De qua et Hermogenes et Theo satis luculenter disserunt uniuerse quidem inter se congruentes, sed singulis in rebus nonnumquam discrepantes. Hermogenes (W. I pag. 13) docet fabulas orationibus personarum partes agentium immittendis extendendas esse et in exemplo, quod tradit de simiis urbem condentibus, legem suam obseruans taedium nobis necessario mouet, quod temere duas orationes et decretum simiarum uerbis perfici uult. In capite III loco, quem etiam attulit Hausrath., Theo praecipit ut prosopopoeiae producantur et flumen aut simile quid describatur. Hausrath. l. l. pag. 315 animaduertit hanc legem a Babrio (72, 5) obseruatam esse. Addere uelim etiam Babr. 11, 6—7 et 76, 12—13. Deinde si ea, quae capite X ineunte de prosopopoeia Theo disputat, respicimus, eam ita definit, ut prosopopoeia inducatur persona orationem ordiens ipsi et temporibus conuenientem. Vt definitionem illustret, eodem loco de oratione imperatoris monet, qui milites ut pericula subeant hortetur. En ratio ab

Hermogeniana illa taedii plena longe diuersa! Etiam Theo igitur orationes fabulis immisceri uult, sed quum Hermogenes orationes cuiusuis generis cumulat, Theo postulat ut oratione mores personae et tempora exprimantur. Babrium hoc praeceptum cognouisse et obseruasse testantur fab. 85 u. 6—18, 95 u. 14—35 et 67—86, 124 u. 14—18, de quibus amplius infra. Hermogeni hanc solam fabulae extendendae rationem cognitam uel certe probatam esse ex eo concludendum esse credo, quod neque ullam aliam commendat neque in exemplis suis ad usum transfert. Sin uero ad Theonem pergimus, in ipso quidem, quod est de mytho, capite praeter orationis immiscendae rationem et fluminis descriptionem nullam nouam argumenti extendendi legem nobis offert, in quarto autem, quod est de narratione, quam luculentissime de hac re disserit. Praeceptorum, quae in hoc capite a rhetore congesta sunt, nonnulla etiam a Babrio ad fabulas perficiendas translata esse exemplis e fabulis sumptis comprobari posse credo. Theo (W. I pag. 184) praecipit ut in iis, quae lectoribus laeta uideri possint, plura adhibeantur uerba, quum autem iis molesta narranda sint, ea breuiter perficiantur, sicut Homerum breuiter habere: »κεῖται Πάτροκλος», compluribus autem rhapsodiis de Vlixe apud Phaeacas commorante narrare. Cui praecepto Theonis mihi conuenire uidetur quod Babrius fab. 4 uers. 3—4, ut lectori gratificans describat pisciculos minutos effugere, maiorem uerborum copiam adhibet, breuiter autem docet grandes retibus captari. Sicut apud Homerum Patroclus, ita in fabula Babrii 7 asinus lectoribus misericordiam moueat necesse est, quam ob rem auctor Homeri fere rationem secutus ipso fortasse Theonis exemplo cognito de eo breuiter »ἔκειτο νεκρός» habet, neque mortem eius pluribus uerbis

illustrat, quum poenam equi, quam gratissimam lectoribus esse oportet, uersibus octo describat. Deinde Theo in eodem capite (W. I pag. 189 l. 14 sqq.) docet orationem contrahi uel rebus uel dictione. Contrahendi rationem ea sola, quae summa et grauissima sint uel rebus uel dictione ut exponantur permittere. Rebus effici breuitatem, si neque multas res comprehendamus neque alias super alias cumulemus et ea, quae subintelligi possint, praetermittamus. Neque in narratione incipienda πόῤῥωθεν proficiscendum esse neque in iis, quae alio pertineant, commorandum. Quae omnia historiae magis quam narrationi conuenire. His Theonis praeceptis conuenienter Babrius in fabulis ubique fere in medias res incidit, atque ubicunque breuitatis studiosus exsistit, τὰ κεφάλαια sola argumenti exponit. Si autem ea respicimus, quae habet Theo de oratione uerbis contrahenda (W. I p. 190), praecipit ne breuitatis studiosus synonymis utatur. Synonymis enim uel uerbis idem fere significantibus narrationem longiorem fieri. Quam Theonis de synonymis obseruationem Babrius, ut orationem amplificaret, haud paucis locis adhibuisse mihi uidetur ut 10, 8: ἔθυεν ηὐχεθ' ἱκέτευεν ἠρώτα et 75, 6: οὐ συναπατῶ σε οὐδ'ἐνεδρεύω et 76, 2: ἐκρίθιζε κἄτρεφεν. Cf. etiam 33, 19—20; 85, 4 et 6; 106, 7.

Ex Quintiliani Instit. orat. I, 9, 2 erui potest rhetores etiam in fabulis tractandis complures eruditionis gradus discreuisse. Ibi enim docemur a tirunculis uersus tantum soluendos esse aut fabulas mutatis uerbis interpretandas, deinde eos, qui usu magis processissent, in argumento paraphrasi exponendo, interdum etiam breuiando et amplificando exerceri solitos esse. Facile uero intelligitur summae fuisse eruditionis noua fabulalarum argumenta excogitare, quam ob rem etiam Theo,

ut animaduertit Hausrath. p. 313, hanc exercitationem post ceteras tractauit. Vt autem noua inuenirent argumenta, discipuli uias diuersas ingredi potuerunt. Hausrath. l. l. e uerbis Theonis (W. I, pag. 178) »τὴν τοῦ ἐπιλόγου δύναμιν ἁπλῆν προτείναντες προστάξομεν τοῖς νέοις νέον τινὰ μῦθον πλάσαι τῷ προτεθέντι πράγματι οἰκεῖον» concludit rhetores in nouis fabulis componendis ex epimythiis ueterum plerumque egressos esse. Quod saepe factum esse et ex fabulis Babrianis et ex iis, quae in collectione Halmii exstant, colligi potest. Quum autem praeceptum morale, quod fabulae subest, haud raro ad prouerbium uulgo cognitum prope accedere possit [prouerbium enim et fabula quibus modis inter se cohaereant luculenter illustrauit Crusius (Pauly-Wissowae encycl. II, 2663)], ex hac exercitatione in promptu erat ad eam transgredi, ut ad prouerbia nouae fabulae componerentur, qua de re cf. Rutherford., qui proleg. pag. XLIV sqq. multas fabulas Babrianas e prouerbiis ortas esse ostendit. Sed non semper necesse erat ex sententia generali ut ex fabulae epimythio aut prouerbio egredi, etiam ex quouis fabulae loco rhetores ansam ad noua argumenta inuenienda sibi sumere potuisse ex uerbis Theonis (W. I pag. 178) »ἐξ ἑκάστου τῶν ἐν τῷ μύθῳ πραγμάτων τὰς ἀφορμὰς ἡμῶν λαμβανόντων» concludendum est. Babrium tum sententia generali aut e prouerbio aut ex epimythio fabulae petita, tum ansa ex loco quolibet fabulae ueteris sumpta noua sibi parauisse argumenta satis ostendunt Babr. 6, 7, 13, 44, 45, 73, 91, 101, 104, 120, de quibus amplius infra. His omnibus rebus commoto mihi non sufficit cum Crusio statuere Theonem et Babrium ex eadem exemplorum collectione pendere, sed ipsa Theonis praecepta quin aut ex scriptis ipsius aut auctorum eius Babrio cognita fuerint dubitare non possum.

Quum igitur de Babrio rhetorum imitatore disputandum sit, Theonis imprimis de fabula praecepta, quorum synopsin Hausrath. l. l. pag. 313 composuit, nobis respicienda et tenenda sunt.

Quomodo praecepta illa rhetorum, quae de fabulis extendendis et contrahendis erant, a Babrio obseruata sint.

Vt a praeceptis illis rhetorum, quae in argumento enarrando posita sunt, incipiam, Theo (W. I p. 175 l. 5) ea ita comprehendit, ut doceat aut explicandam esse fabulam aut ad propositum accommodandam aut cum alia narratione connectendam aut extendendem aut contrahendam. Praecepta illa duo priora, ut exponeretur fabula aut ad propositum accommodaretur, quum ad oratorum et rerum scriptorum usum solum transferri potuerint neque a fabulatoribus adhibita sint, hoc quidem loco praetermittantur. Quod deinde docet Theo fabulam cum alia oratione connectendam esse, facile apparet etiam id praeceptum primo ad oratorum fabulae adhibendae rationem pertinuisse, ut etiam ex ipso exemplo, quod affert Theo (W. I p. 177 l. 15), colligi potest. Mox autem etiam a fabulatoribus ipsis id usurpatum esse Phaedri fabulae docent, in quibus eam connectendi rationem adhibitam esse animaduertit etiam Hausrath. p. 313. Atque mirum certe uidetur esse Phaedrum Theonis praescripta obseruantem fabulis, in quibus hanc scribendi rationem secutus est (I, 2; IV, 20; IV², 5), iam narrationem praeposuisse ut I, 2, iam postposuisse ut IV, 20 et IV², 5. Theo enim (W. I p. 177 l. 10) aut fabulam post narrationem aut narrationem post fabulam sequi posse docet. Si autem narrationes, quas cum fabulis coniungit Phaedrus, examinauerimus, eluce-

bit eum, ut ipse (nam in fabula I, 2 Phaedrum Aesopi persona se ipsum intelligi uoluisse credo) propositum proprium quoddam persequens prodiret, has narrationes fabulis adiecisse. Recte Vandaele l. l. p. 33 monuit »in Phaedri fabellis asperius aliquid inesse et tristius et mordacius», unde facile intelligitur eum hoc rhetorum praeceptum sibi sumpsisse, ut indignationem narrationibus illis effunderet. Longe aliam rationem Babrium in fabulis scribendis secutum esse iam monui. Nulla ira, nullo studio scripta poëmatia eius personam auctoris omnino remouent. Ne igitur miratus sis in libellis eius nullum inueniri exemplum rationis illius fabulas cum narrationibus connectendi. Causa ei non fuit, cur praecepto illo uteretur. Restat igitur ut uideamus quomodo Babrius in fabulis extendendis et contrahendis uersatus sit. Hausrathius l. l. p. 313 recte monuit in ratione extendendi inter se quam proxime connexa esse μῦθον, διήγησιν, ἠθοποιΐαν. Ex exemplo, quod pag. 315 affert, colligendum est addi posse etiam ἔκφρασιν. Quum autem Theonis, ut supra dictum est, praecepta obseruauerit Babrius, nobis necesse erit, quum fabulas Babrii huc referendas examinamus, capita illa, quae habet Theo de διηγήσει, ἠθοποιΐᾳ, ἐκφράσει, non minus quam quae de mytho disputat respicere.

Hausrathius l. l. p. 314 monet in collectione Halmii fabulas inueniri, quae quamquam argumento omnino eaedem sunt, iam longiorem proferunt narrationem, iam breuiorem, ut appareat auctorem se in extendendo et breuiando exercuisse. Eas autem solas exercitationes usui scholastico compositas esse et ex exemplis, quae affert, elucet et re ipsa intelligitur. Si enim argumentum idem nullo discrimine aut extenderetur aut breuiaretur, ars illa nullo modo uere utilis esset. Quae quum ita sint, statuere uelim primum quidem pueros

in eo se exercuisse, ut idem argumentum et extenderent et breuiarent (cf. Quintiliani Instit. orat. I, 9, 2). Deinde autem etiam quam maximam curam in eo positam esse, ut recte diiudicarent quo loco consentaneum esset narrationem extendere, quo comprehendere, quo denique mediam rationem sequi. Haud raro ex ipsa natura argumenti facile apparere potuit utrum ad extendendum an ad contrahendum an ad mediam uiam seruandam accommodandum esset, aliis autem occasionibus haud paucis etiam aliae rationes respiciendae erant, ut quum fabula orationi ad rem quandam illustrandam immiscenda erat, nonnumquam quam maxime interesse potuit utrum orator fabulam proferret longitudine dilucidam an breuitate grauem. Quin in collectionibus fabularum a rhetoribus compositis, ubi nulla fere causa erat, cur haec extenderetur, illa contraheretur fabula, id pro natura argumentorum plerumque factum sit non est dubitandum. Quas res quum didicissent discipuli, iam id solum reliquum erat, ut rationem rectam in narratione comprehendenda aut extendenda adhiberent; qua de re etiam, ut supra dictum est, leges in progymnasmatis statui solebant, quarum partim iam mentio facta est, partim in ipsis fabulis tractandis fiet. Si libellum Babrianum peruoluerimus, multas quidem inueniemus fabulas, quae modum iustum excedunt atque haud dubie a Babrio extensae sunt, quoniam autem maxima earum pars etiam aliis locis nobis commemoranda est, satis habebo hic eas tractare, quae cur aliis locis in medium proferantur, causa non est, quasque e breuioribus extensas esse tamen cuiuis manifestum erit. Dico fabulas: 85, 95, 106, 124.

Fabulam Babr. 85 ex breuiore exemplari extensam esse iam ex ipsa διηγήσει facile apparet, quod synonyma uerba in ea cumulauit auctor ut uers. 4: ἔμελλεν, ἐβράδυνεν et 6: οὐ χάριν διατρίβω, τί δ'εὐλαβοῦμαι.

Sed etiam ex aliis rebus haud paucis, quae ad dictionem pertinent, intelligi potest Babrium rationem certam sophisticam secutum narrationem extendisse. Theo (W. I p. 183 l. 12) docet perspicuitatem, breuitatem, probabilitatem uirtutes auctoris esse. Deinde nonnulla affert praecepta, quomodo parandae sint breuitas et perspicuitas. Inter alia etiam (W. I p. 185 l. 22) praecipit ne uerba poëtica, nouitia, prisca, externa adhibeantur, quum orationem obscuram et longam efficiant. Eodem loco (l. 20) animaduertit obscuram fieri orationem, si allegoria occultarum historiarum inducatur. Sed id ipsum Babrium hac fabula fecisse Kellero, Bergkio, Heckero, aliis uiris doctis, quorum de hac re sententias ex Crusii de Babr. aet. pag. 148 sqq. cognoui, assentiri uelim. Quum igitur allegoriam protulerit Babrius, secundum praecepta sophistica ei licuit et nonnulla obscura afferre et longitudinem narrationis quaerere. Babrius enim in hac fabula et prisca et nouitia nonnulla admisit. Vt in uersu 2 priscum esse censeo quod canem ducem Achaeum fuisse dicit. Multas id quidem nomen coniecturas uirorum doctorum (cf. Crus. de Babr. aet. pag. 148) excitauit, de quibus iudicare tamen supersedendum est. Id solum afferre uelim Crusium (de Babr. aet. p. 150) nomen ita explicasse, ut tota fabula parodia Homerica esset canisque dux Achaeus parodice appellaretur ideo, quod Agamemno graecorum dux Achaeus esset. Quamquam Babrium hac fabula imitationem Homericam protulisse Crusio assentior, tamen aliam nominis illius explicationem esse credo. Ad ueritatem ipsam eruendam haud alienum erit etiam lectionem fab. Halm. 267 respicere, quae de duce canum praebet: »κύων δὲ Ἕλλην ἠρέθη στρατηγὸς κυσίν». Ex iis autem, quae Crusius (de Babr. aet. pag. 150 adn. 3) de Babrii imitatione sermonis Homerici affert, facile intelligitur aucto-

rem nostrum et elocutionem Homeri cognouisse et re uera hic illic dicendi flores ex eo sumptos admisisse. Deinde quod inter omnes constat apud Homerum nomine Achaico omnes graecos appellari, ea ex re nescio an coniciendum sit Babrium nostrum dictionem Homeri imitatum nomine Achaico tantum uerba exemplaris sui, quod cum Halmiana fabula congruens ducem »Ἕλληνα» praebuisse credo, expressisse. Quum igitur Babrius sophistarum more hoc loco tantum priscum aliquid admiserit, difficultates, quas praebet nomen Achaicum, iam per se facile concidunt. Ad nouitias a Babrio in hac fabula admissas locutiones refero constructionem uers. 11: »οἳ δὲ Κύπρον ἢ Θρᾴκην αὐχοῦσιν» et uerbum uers. 15: »διάργεμοι», de quibus consule Rutherfordii commentarium. Alia longitudinis efficiendae ratio erat prosopopoeiae amplificatio, de qua iam supra dictum est. Quae Theo hoc loco de oratione imperatoris milites ad pericula hortantis habet, ad orationem canis ducis fabulae Babrianae transferri posse mihi uidentur. Vt Theo (W. I, p. 236 l. 12) dicit propter fortunam alias orationes seruo, alias libero et ob diuersum uitae genus alias militi, alias agricolae conuenire, ita Babrius hic uoluisse potest propter peritiam aliam ducis, aliam militum orationem esse. Vt autem etiam de origine fabulae sententiam meam proferam, hac fere ratione quomodo primum orta sit credo explicari posse. Quum in fabulis Aesopeis exigendis nobis uersaretur disputatio, ad illas referendum esse uidebatur etiam argumentum illud, quod est de luporum legatis canes in cruciatum ab ouibus exposcentibus. Ad hanc igitur historiolam Aesopeam a rhetoribus refictum esse potest argumentum illud, quo bellum, quod est inter canes et lupos, describitur. Quod fabula illustrauit non Babrius solus, sed idem etiam fabulis Halm. 266, 267 tractatur. Quum Babrius fabulam ex-

tendit, fabula Halm. 267 narrationem praebet nullis synonymis accumulatis nudam et simplicem. Fabula Halm. 266 quum in argumento proferendo plerumque cum Babr. 85 = Halm. 267 congruat, tamen multa ex fabula illa Aesopea, quae est Babr. 99 = Phaedr. III, 7, asciuit.

Vt ad fabulam Babr. 95 transgrediamur, iam primo obtutu apparet Babrium in ea elaboranda et extendenda maximum laborem posuisse. A principio argumentum ad historiam naturalem pertinuisse ex iis colligi posse credo, quae de eius historia attulit Crusius (de Babr. aet. pag. 214 sqq.) locos auctorum, ubi occurrit, protrahens. Multa autem noua ab auctore argumento principali, ut id amplificaret, addita et immixta esse ex disputatione eiusdem uiri l. l. p. 185 sqq. et p. 216 adn. 4 uideri potest. Vt autem ad ipsam narrationis proferendae rationem pergam, in hac fabula sicut in 85 multa, quae in διηγήσει posita sunt, de praeceptis Theonis supra tractatis monent. Nam et uerba et genera dicendi prisca, poëtica, nouitia in hac fabula componenda multa et uaria adhibuit, quorum nonnulla hic afferantur. Priscum haud dubie est quod in uersu 59 uocem Homericam »φρίξ» admisit, de qua consule Zachariae (de dictione Babrii p. 14). Ad poëtica numeranda esse censeo omnia ea, quae Babrius rationem dicendi ueterum poëtarum imitans in poëmatia sua inseruit. Vt a poëtis tragicis incipiam, inde, ut docent lexica, sumptum est uers. 9 adiectiuum »μελίγλωσσος». »βυσσόθεν» aduerbium uers. 49 Babrio cum Sophocle (Ant. 596) commune esse Keller pag. 402 ostendit et uocem »στύγημα» uers. 62 Babrium ex Euripide (Or. 480) petiuisse posse Zachariae l. l. p. 5 monuit. Vers. 37 »ποιητοὶ λόγοι» Zachariae p. 4 recte, credo, ad Pind. Nem. 5, 29 rettulit. Multa Aristophanea in hac fabula inueniri ex lib-

ris Kelleri et Zachariae uidere licet. Vt Keller p. 404 monuit phrasin uers. 60 »χολὴ δ'ἐπέζει καρδίην» nobis necessario Ar. Thesm. 468 »οὐδ'ἐπιζεῖν τὴν χολήν» in memoriam reuocare, et Zachariae l. l. p. 6 »γρύζειν» uerbum uers. 63 etiam a poëta illo comico (Plut. 454) adhibitum esse docuit. Idem etiam de »ἀλωπεκίζειν» uerbo uersus sequentis ualere eadem pagina animaduertit. Ad dictiones poëticas etiam phrasin uers. 97 »μόνην ἀπ'ἄλλων καρδίην ἐπεζήτει» pertinere Zachariae l. l. p. 35 exemplis comprobauit, eodemque haud dubie uers. 52 locutio »πλέκουσα τέχνας καὶ πανουργίας πάσας» referenda est. Etiam nouitia in hac fabula sedulo a Babrio admissa esse ostendit uers. 87 »ἀχαιίνη», quod ἅπαξ εἰρημένον esse monuit Keller pag. 399. Quod autem »ἰσχύειν» uers. 7 uerbo significationem auctor indidit ualendi, Zachariae pag. 14 exemplis probauit id in proprietate dicendi rationis auctoris positum esse. Nonnullas harum locutionum ut uers. 52 et 97 eam solam ob causam adhibitas esse, ut narrationem amplificarent longioremque redderent, ex ipsa earum uerborum copia concludere licet. Maxime autem omnium ut fabulam extenderet, prosopopoeiae amplificatione usus est. Versuum fabulae 102 non minus 55 orationibus personarum talibus complentur, ut optime moribus et naturae animalium in fabula partes agentium conueniant.

In fabula 106 tractanda longe inter se dissentiunt uiri docti sitne uere Babriana an suppositicia. Crusius (Babr. aet. p. 142) eorum, qui fabulam damnant, sententiam refellere conatur, Rutherfordius autem in commentario p. 101 quam maxime probat. Vt Crusius argumenta aduersariorum inania esse declarat, ita mihi quidem ea certe, quae affert Hochius (De fabulis Babrii corruptis atque interpolatis, p. 36), non modo non fabulam reiciendam esse comprobare, sed etiam eam genui-

nam esse efficere uidentur. Exempla enim, quae produxit, omnia ea sunt, quae quum iis dictionibus, de quibus in fabulis 85 et 95 tractandis actum est, simillima sint, id tantum euincant narrationem fabulae extensam esse. Quod enim animaduertit »non solum late fuseque pleraque dici, sed etiam locutionibus nimium arcessitis ac doctrinam redolentibus», iam supra uidimus ea signa esse fabularum arte rhetorum extensarum. Neque re uera improbabile mihi esse uidetur Babrium ut in fabula 85, ita etiam in hac praecepto illi Theonis, quod est de allegoria (W. I, p. 185 l. 20), conuenienter sedulo narrationem et obscuram et fusam fecisse. Etsi quas Hertzbergius et Boissonadius (quorum coniecturas tantum ex libro Crusii cognoui) protulerunt fabulae explicationes allegoricas, Crusius l. l. p. 142 refellisse potest, non inde sequitur omnino nullam interpretationem allegoricam accipi posse. Allegoriae certe indicia, quae commemorat Theo, huic fabulae inesse iis ipsis exemplis, quae ad fabulam spuriam esse comprobandam adhibet Hochius, planum fieri credo. Priscae a Babrio in hac narratione admissae locutiones sunt uersus 7 uerbum »φιλεῖν», quod significatione Homerica subdita proferri uidit Hochius, (cf. etiam Zachariae l. l. p. 4), et uers. 8 adiectiuum »θυμήρης», quod ad Homerum (Od. X, 362) pertinere recte statuit. Poëtica porro haud dubie consulto immixta sunt haec: uers. 3 »φυή» substantiuum et uers. 5 »θαμινά» aduerbium, quae uocabula Pindarica esse recte monuit. Nouitia denique prolata esse uers. 6 uerbum »συναυλίζεσθαι», de quo cf. Zachariae l. l. p. 25, et uers. 15 adiectiuum »νεόδρομος», quod inter ἅπαξ εἰρημένα posuit Zachariae p. 17, uerisimillimum esse uidetur. Prosopopoeiae amplificatio in hac minus quam in supra tractatis fabulis cernitur, quod tamen nescio an ipsi poëtae non ascribendum sit, quum fabula

auctoribus uiris doctis mutila exstet. Apud Crusium enim inuenio (l. l. p. 144) Naberum Mnemos. IV p. 437 statuisse fabulam 106 decurtatam esse neque exitum eius abruptum Babrio deberi. Vt fabulam restitueret, Crusius ipse quidem coniecit »eam a principio cum alia coniunctam esse, in qua uulpes quomodo simiam ulta esset descriptum exstaret». Quae coniectura si uera sit, in hac posteriore fabulae parte orationes plures forsitan insertae esse potuerint. Quae res eo uerisimilior mihi esse uidetur, quod Babrius, ut narrationem extenderet, etiam materiam aliunde petitam (agnouisse mihi uideor fabulam illam Aesopeam, quae est de leone regnante) cum argumento primigenio colligauisse potest.

Fabulam 124 argumento nouam fortasse a Babrio ipso inuentam esse inde probabile fit, quod in litteris antiquis omnino nobis deest narratio argumento cum ea concinens. Vt iam aucupis persona in fabulis rara (hac excepta tantum in Halm. 340 occurrit) indicat serioris aetatis esse fabulam, ita eam rhetorum arti deberi etiam inde colligendum est, quod ei multa insunt, quae comprobent extendendi rationem adhibitam esse. Vt a compositione fabulae incipiamus, duorum argumentorum diuersorum uestigia inuenisse mihi uideor, quorum alterum de homine et mustela est, alterum fabulae Halm. 340 simili contineri potuit. Nam quod perdix itemque gallus a uenatore sua de domino merita proferentes petunt ne se necet, id haud dubie ad argumentum illud Aesopeum pertinet, quod habent Babr. 27 et Phaedr. I, 22. Etiam in dictione poëtam nonnulla, quae ad extendendi rationem pertineant, admisisse probant haec uerba nouitia: uers. 3 »κλωβός», quod Rutherfordius l. l. p. 117 serioris aetatis uocabulum esse et apud Antipatrum Anth. 6, 109, 3 occurrere inuenit, et uers. 15 »ὡρό-

μαντις», quod Zachariae l. l. p. 16 ἅπαξ λεγόμενον esse monuit. Ad poëtica refero totum uersum 16, de quo monere uelim »χρυσότοξος» epitheton a Pindaro Apollini tribui. In prosopopoeiae amplificatione adhibenda Babrius hoc loco ea, quae Theo de interrogatione (W. I, p. 203) disputat, obseruauisse mihi uidetur. Nam in orationibus et perdicis et galli interrogationes aliae super alias cumulantur, quum in fab. Babr. 27 uerba mustelae beneficia homini exprobrantia breuiter exclamatione, in Phaedr. I, 22 adhortatione proferantur.

Si etiam ceteras Babrii fabulas amplificatas respexissemus, plura quidem de eius extendendi ratione afferri potuerunt, quoniam autem aliis locis tractandae sunt, haec quidem nunc sufficiant. Vt igitur ad rationem scribendi contrariam transgrediamur, id quidem facile est intelligere quemadmodum ceteros rhetores (cf. quae de hac re disputauit Hausrathius l. l. p. 314), ita Babrium quoque fabularum contrahendarum rationem adhibuisse; qua in re semper fere exemplaria rhetoris cuiusdam secutus esse uidetur. Quae enim nobis seruatae sunt fabulae eorundem argumentorum prosa oratione scriptae, omnes fere ualde breues et contractae leguntur ut Halm. 26, 79, 176, 371. In libello Babriano haec fere συστελλόμενα existimari possunt: 4, 41, 52, 83, 113, 133; quas fabulas omnes ad eandem fere normam a rhetore, cuius collectione usus est Babrius, scriptas esse colligendum est. Narrationes enim earum ironia quadam haud raro satis acerba proferuntur, quae sub interrogationibus plerumque responsisue facetis in fine positis latens ipsam argumenti uim exprimit ut 52, 5: »τί δὴ κρώζεις ἄλλων ἐπ'ὤμοις φερομένη σιωπόντων;» Quod ad fabulam Babr. 41 attinet, eam ad similitudinem fabulae Aesopeae, quae est de rana rupta et boue, fictam esse iam primo aspectu apparet. Ceterum in

omnibus narrandi ratio quam optime cum iis legibus, quas praebet Theo de rationibus quomodo contrahendae sint fabulae, congruit. Quae quum ita sint, has omnes fabulas, quae in hoc capite tractatae sunt, quum praecepta rhetorum, quae sunt de fabulis extendendis et contrahendis, in iis satis accurate obseruata esse uideantur, ad fabulas Babrii sophisticas referendas et in libro eius altero reponendas esse credendum est.

De fabulis ad prouerbia fictis.

Quum praecepta, quae de narranda fabula erant, didicissent discipuli rhetorum fabularum studiosi, iam ut longius progrederentur, necesse erat nouas inuenire rationes, quibus non modo argumenta iam ante cognita fabulis expolirent, sed ipsi quoque noua inuenirent argumenta. Etiam hac in re Theo (W. I pag. 178) uiam, qua progrederentur, monstrauit, quum docuit (quod animaduertit etiam Hausrath. l. l. p. 313) ex una fabula plures sententias generales protrahi et ad unam sententiam generalem plures fabulas fingi posse. Prouerbium autem et praeceptum morale fabulae haud raro proxima societate inter se coniuncta esse posse et per se facile intelligitur et iam in antiquitate uiderunt paroemiographi (cf. quae Crusius in encycl. Wiss. pag. 2663 de Diogeniano prouerbium et fabulam inter se conferente attulit). Theo ipse quidem nullo loco uerbis apertis praecepit ut e prouerbio iam parato discipuli noua inuenirent argumenta; quum autem sententia generalis e fabula protracta haud raro ad prouerbium cognitum quam proxime accedere posset, facile apparet rhetores pro sententia generali etiam prouerbium nouae fabulae subicere potuisse. Fabulatoribus igitur quum prouerbium, ut fabulam fingerent, sibi sumpsissent, iam nihil aliud opus erat quam praecepta illa, quae erant de argumentis extendendis, in usum suum conuertere, quod etiam Lucillus Tarrhaeus et Herennius Philo (quos ex encycl. Wiss. pag. 2663 cognoui) quum fabulam »παροιμίαν ἐξηπλωμένην» uocarent, intellexisse mihi uidentur. Etiam Theonem extendendi leges

hoc loco adhibitas uoluisse inde concludendum est, quod monet, ut fabulas ad sententias generales e fabulis protractas fingant, discipulorum quam maxime interesse argumenta, quae aut e scriptis ueterum sumpserint aut audiuerint aut ipsi excogitauerint, in memoria tenere. Quod ad Babrium attinet, iam diu inter uiros doctos constat (cf. Rutherford. proleg. pag. XLIV sqq. et Crus. in encycl. Wiss. 2663) eum totam seriem fabularum e prouerbiis extendisse. Minus autem cognitum esse uidetur etiam Phaedrum hac in re rhetorum imitatorem procedere. Recte e prologis concluserunt uiri docti (Havet, Vandaele, alii) Phaedrum in libris suis posterioribus fonti minus obnoxium esse liberioremque exstare. Atque in argumentis adhibendis Phaedrum uere liberum exstare facile est inuenire, si autem qua ratione ortae sint nouae illae fabulae, quaesiuerimus, apparebit, credo, Phaedrum plerumque et ipsum rationes a rhetoribus commendatas adhibuisse. Quod enim in prologo III se Aesopi stilo tertium librum exaraturum esse profitetur et in epilogo III autumat tantam se materiae copiam habere, ut faber labori, non fabro labor desit, et in prologo IV contendit se uetusto genere, sed rebus nouis usum esse, haec omnia dicta de auctore rationes rhetorum secuto accipi posse crediderim. Quod enim dicit se Aesopi stilum et uetustum genus, sed res nouas adhibuisse, confiteri uidetur se rationibus scribendi graecis usum argumenta a fabulatoribus non ante in usum conuersa, quae plerumque origine romana fuisse credo, tractauisse, neque multum mihi uidetur locis, quos dixi, a rhetoribus (cf. W. I p. 174) abhorrere monentibus fabulas omnes Aesopeas appellatas esse, non quod Aesopus primus aut solus, sed quod optime omnium fabulas conscripsisset. Phaedrum autem argumenta illa noua tractantem praecepta ea, quae etiam nunc in scriptis rhetorum nobis seruata

sunt, secutum esse et ea probant, quae de fabula cum alia narratione coniungenda supra dicta sunt, et quod haud exiguum numerum fabularum ad prouerbia finxisse uidetur. Sententias enim illas, quae Publilii Syri (ed. W. Meyer) feruntur, peruoluenti mihi multae occurrerunt, quae quin cum Phaedri fabulis quibusdam cohaereant dubium esse non potest. Seneca (cf. Dahl., Hist. lit. rom. pag. 138) nobis testis est mimis Publilii sententias pulcherrimas immixtas esse, et si recte coniecit Dahl Senecae uerbis (ep. 33, 7, Haase III, p. 75): »Ideo pueris sententias ediscendas damus,» sententias Publilii dici, mirum uideri non potest Phaedrum, quum rationes graecorum ad argumenta romana transferre uellet, has potissimum sibi sumpsisse sententias, ut fabulis amplificaret. Phaedrum in II, 7; III, 2; III, 5; III, 10; III, 13; III, 15; IV, 21; App. VII*) talem rationem secutum esse eo probabilius mihi uidetur, quod harum fabularum nullam neque in collectionibus graecis fabularum seruatam neque ab ullo auctore antiquo commemoratam inuenire licet. Fabulam II, 7 e sententia Publilii: »Excelsis multo facilius casus nocet» amplificatam esse quum tota narratio tum uersus 4, quo »excelsis» dictio sententiae illustratur, et epimythium: »Magnae periclo sunt opes obnoxiae» satis comprobant. Fabulae III, 2, quae est de panthera et pastoribus, subiecta esse potest sententia: »Homo, qui in homine calamitoso est misericors, meminit sui». Fabulae III, 5 ipse Phaedrus promythium (Havetus animaduertit id cum promythio fab. I, 20 et uersu 3 fab. IV, 13 mire congruere, unde colligere licet sententiam illam Phaedro in deliciis fuisse) praeposuit, ad quod quin composita sit non dubitandum esse uidetur. Sententiam Publilianam, quae ad uersum Phaedri quam proxime accedit, inueni hanc: »Cito improborum laeta ad per-

*) Editionem Haveti hoc loco secutus sum.

niciem cadunt.» Fabulam III, 10 pulcherrimam, cuius narratio copiosa et longa satis probat etiam Phaedrum amplificandi legem cognouisse, ab auctore praeceptis rhetorum conuenienter cum alia narratione (uers. 50—60) coniunctam esse moneri potest. His autem indiciis originis rhetoricae praetermissis tota historiola ex sententiis Publilianis duabus: »Magis fidus heres nascitur quam scribitur» et »Parens iratus in se est crudelissimus» concocta esse uidetur. Fabulae III, 13 tres sententias Publilianas quam optime conuenire inuenio: »Bona causa nullum iudicem uerebitur;» et »Sat est disertus pro quo loquitur ueritas;» et »Fatetur facinus is, qui iudicium fugit;» quarum tamen hanc potius quam illas fabulae subesse ut statuam ea maxime re commoueor, quod epimythio fabulae: »Hanc praeterissem fabulam silentio, Si pactam fuci non recusassent fidem,» ipse auctor sententiam respexisse uidetur. In III, 15 sententiam Publilii: »Beniuoli coniunctio animi maxima est cognatio», ad quam narrationem fictam esse credo, uerbis tantum mutatis Phaedrus uersu 18: »Facit parentes bonitas, non necessitas» seruauisse uidetur. Fabulam IV, 21 auctor praeceptis rhetorum conuenienter et cum alia narratione coniunxit et ad sententiam generalem, quae apud Publilium est: »Auaro acerba poena natura est sua» composuit. Postremo fabula App. VII optime illustrari uidetur sententia Publilii: »Qui se ipse laudat, cito derisorem inuenit.» Forsitan animaduerterit quispiam eadem fere probabilitate statui posse sententias illas e fabulis progressas esse, ut Crusius (in encycl. Wiss. pag. 2663) monuit saepenumero prouerbium e recordatione ueteris fabulae ortum esse, sed hoc quidem loco ne oblitus sis has omnes fabulas Phaedrianas nouitias esse neque apud ullum auctorem alium occurrere, quum sententiae Publilii auctore Seneca laude hominum florue-

rint. Atque ipsum Phaedrum non modo in fabulis fingendis, sed etiam locis, quibus ipse in scenam prodit, cogitata Publilii in suam rem conuertisse credo me inuenisse, nisi casu forsitan acciderit ut Phaedrus epil. II uers. 17—18 ad Seianum transferret sententiam Publilii: »Vbi iudicat qui accusat, uis non lex ualet.» Neque tamen inter dicta Publiliana exempla nobis desunt, unde eluceat etiam ipsum earum auctorem in sententiis proferendis fabularum ueterum meminisse, ut sententią: »Non facile de innocente crimen fingitur;» fabulam Aesopeam illam Phaedr. I, 1 = Babr. 89 haud dubie respicit et: »Cum das auaro praemium ut noceat rogas,» ad Phaedri II, 3 = Halm. 221, quae quoniam graece exstat, sententia uetustiorem esse credendum est, referri potest. Quamquam igitur Phaedrus argumenta romanorum propria plerumque, ut fabulas rationibus rhetorum componeret, sibi sumpsisse uidetur, tamen non desunt exempla, quae comprobent etiam prouerbia graeca adhibita esse ut IV, 24, ad quam Havetus de Athen. XIV, 6: »Ὤδινεν ὄρος, Ζεὺς δ'ἐφοβεῖτο, τὸ δ'ἔτεκεν μῦν» monuit et app. XII (asinus et lyra), ad quam et de prouerbio Pseudo-Plutarchi 33 »ὄνος λύρας ἀκούει» et de Aeliani nat. an. X, 28: »μόνον τοῦτον τῶν ζώων μὴ γεγονέναι κατὰ ἁρμονίαν· ταύτῃ τοι καὶ πρὸς τὸν ἦχον τὸν τῆς λύρας εἶναι κωφότατον» monendum esse censeo. Tales autem fabulas quin etiam in fonte graeco elaboratas inuenire potuerit non est dubitandum.

Quum igitur iam Phaedrus rationem prouerbiorum amplificandorum in ludis rhetorum excultam crebro in usum conuerterit, id multo magis de Babrio sophista exspectandum est, quamuis Theo, a cuius praeceptis eum plerumque pendere dictum est, nullo loco prouerbium, sed sententiam generalem e fabula protractam ad noua argumenta inuenienda discipulis commendauerit.

Vt autem inter uiros doctos constat Babrium prouerbiis ad fabulas componendas usum esse, ita quem fontem adhibuerit inuestigare multo quam de Phaedro difficilius est. Iam monui Crusium recte uidisse Babrium in posteriore suo libro eodem fabularum et exemplorum fonte atque Theonem usum esse, qua in re tamen fabulae ad prouerbia compositae necessario excipiendae esse uidentur, quum earum mentionem nullam fecerit Theo. Neque re uera inter uiros doctos satis constat auctorem nostrum prouerbia sibi e libro sumpsisse. In praefatione (pag. 3) commentarii illius, quem Crusius ad »Plutarchi de prouerbiis Alexandrinorum libellum» conscripsit, uideo C. Krumbacherum de ea ipsa re dubitare fuerintne in antiquitate prouerbiorum collectiones, quam dubitationem tamen omnem nobis sustulit Crusius et de libro illo Plutarchi nomine prolato commemorans et de locis, »ubi dubitant grammatici uerbum aliquod εἰ παρά τινι inueniatur, ἐν δὲ παροιμίᾳ esse confirmant». Deinde quum prouerbia, quae in libello Plutarchi leguntur, haud pauca apud Zenobium, Diogenianum, alios recurrant, opera paroemiographorum quoque sicut fabulatorum multis modis inter se cohaesisse uidentur. Vt exemplum unum iam hoc loco afferam, prouerbium, quod Phaedr. IV, 24 subest, quodque Havetus apud Athenaeum XIV, 6 inuenit, etiam in libello Plutarchi a Crusio edito (47) legitur. His similibusque commotus Crusio l. l. assentiri non possum dicenti auctorem libelli illius argumenta »ex ipso Alexandrini populi ore excepisse», neque dubium mihi uidetur esse quin et hic et libri Zenobii et Diogeniani ad studia sophistarum pertineant. Fabulae Babrianae quoque quum haud raro et cum ipsis prouerbiis et cum eorum explanationibus, quae occurrunt in Plutarchi de prouerbiis Alexandrinorum libro, ita congruant, ut necesse sit prouerbia et fabulae quodam modo inter

se cohaereant, saepiusque fortasse etiam cum Zenobii et Diogeniani adagiis conueniant, quin ex libro aliquo παροιμίων fluxerint dubitari non potest. Babrium etiam in fonte suo prouerbia iam fabulis illustrata inuenisse Crusius (encycl. Wiss. pag. 2663) e congruentia uerborum, quae inter Babrium (20) et Zenobium (V, 93) intercedit, et e similitudine sententiae, quae inter Babrium (55) et Diogenianum Pantini 609 p. 288 et Macarii 675 p. 209 Gott. (cf. Rhen. Mus. XLIV, p. 460) interest, recte collegisse uidetur. Fabulae Babrii ad prouerbia scriptae, quarum pleraeque iam a Rutherfordio et Crusio ad talem originem relatae sunt, hae esse uidentur: 1, 20, 21, 37, 42, 55, 56, 61, 62, 65, 69, 76, 92, 112, 125.

Ad fabulae primae originem explicandam Crusius (Jahrb. f. Philol. CXXVII pag. 239) prouerbium, quod praebet Apostolius X, 63: »Λέων εὐθὺς εἰς ἀγῶνας», nobis attulit, neque re uera inuerisimile uidetur esse uersu Babrii 4: »Λέων δὲ μοῦνος προὐκαλεῖτο θαρσήσας αὐτῷ μάχεσθαι» ipsum adagium nobis expressum esse posse. Fabula Halm. 403 quum sine dubio mera paraphrasis Babrianae sit neque ullo alio loco exstet similis narratio, nescio an ipse Babrius prouerbium extenderit.

Fabulam 20 iam in fonte elaboratam ab auctore inuentam esse recte Crusius (Babr. aet. pag. 233) inde conclusit, quod apud Zenobium (V, 93) a Babrio non pendentem et uerba uersus 3 fabulae Babr. »δέον βοηθεῖν» recurrunt et trimetro sententiam uersus Babr. 4 exprimenti inserta leguntur. De prouerbio, quod fabulae subest, luculenter disputauit Crusius (De Babr. aet. pag. 295). Ad prouerbium multo propius quam Babriana Halm. 300 accedit, quae uirum Atheniensem ipsam Athenam inuocantem inducit et fine narrationis uerba ipsius prouerbii accurate repetiuit. Quae fabula ipsa compositione tantam cum Halm. 154 ad prouerbium, quod est in libro

»De prou. Alex.» 11: »οἶκος φίλος, οἶκος ἄριστος», conscripta similitudinem habet, ut uerisimillimum uideatur esse eas ab eodem auctore compositas esse.

Fabulam 21 iam Rutherfordius (proleg. pag. XLIV) ad prouerbium »εὔνους ὁ σφάκτης», quod praebet Zenobius 3, 94, rettulit. Addere uelim etiam in libro, qui est de prouerbiis Alexandrinorum, idem legi prouerbium (46) explanatione a Zenobianis tribus abhorrente addita hac: »αὕτη ἡ παροιμία προηνέχθη ἀπὸ τοῦ Ὀρέστου, ὡς καὶ Ὅμηρος ἐδήλωσεν· ἀποκτείνας γὰρ τὴν μητέρα περίδειπνον ἐποίησεν.» Quoniam Babrio excepto nullo, quantum inueni, litterarum graecarum loco eiusdem fabulae mentio fit, facile crediderim ipsum Babrium prouerbium, ut fabula fieret, amplificauisse.

Fabulam 37 ad prouerbium Zenobii IV, 73 »βοῦς ἐπὶ δεσμά» compositam esse Rutherfordius (proleg. XLVII) statuit. Sed aliud est in libello »De prouerbiis Alexandrinorum» adagium, in quod melius quadrare fabulae argumentum uidetur. Prouerbium est 22 »τὸ βασιλικὸν βοΐδιον», cui accommodatio haec additur: »χρήσῃ δὲ τούτῳ ἢ ἐπὶ τῶν θεραπείας πολλῆς ἀξιουμένων ἢ ἐπὶ τῶν εὐτυχούντων». Ex tali prouerbii explicatione auctorem, quem secutus est Babrius, profectum esse posse, quicunque uel leuiter rationem scribendi rhetorum cognouerit, intelliget. Verba prouerbium explicantia »ἐπὶ τῶν εὐτυχούντων» respicere uidetur uersus fabulae Babrii primus: »Δαμάλης ἐν ἀγροῖς ἄφετος, ἀτριβὴς ζεύγλης κτλ». Halm. 113 quum eandem fabulam multo et breuiorem et simpliciorem proferat, paraphrasi argumentum fabulae Babrianae exprimere uix potest. Verisimilius igitur uidetur esse a communi quodam fonte et fabulam Halm. 113 et Babrianam ita pendere, ut in Halmiana contrahendi ratio adhibita sit (ἐν χαρακτῆρι ἀφελεῖ Aphthonii scripta

esse uidetur), Babrius autem legem contrariam, qua extenderetur narratio, adhibuerit.

Fabulam 42 ad prouerbium Diogeniani II, 45 compositam esse Rutherfordius (prol. p. XLIV) explicatione a paroemiographo prouerbio addita commotus statuit, melius tamen Crusius (Jahrb. f. Philol. CXXVII, 244) Macarii IV, 43 cum fabula contulit. Ceterum dictum aliquod in antiquitate uulgatum fine fabulae contineri locis illis (Plaut. Rud. 811 et Theocr. 2, 84), quos ad »ἀναλύειν» uerbum explicandum produxit Crusius, apparet, ueramque esse coniecturam eiusdem uiri docti statuentis canem ambigue respondisse, ut »pransus, potus» fuisse uideretur, fine fabulae Halm. 62: »ἐκ τῆς πολλῆς πόσεως μεθυσθεὶς ὑπὲρ κόρον, οὐδὲ τὴν ὁδὸν αὐτήν, ὅθεν ἐξῆλθον, οἶδα» (quod non uidit Crusius) satis comprobatur. Quam sententiam quum fabula Halm. retinuerit, ad exemplar Babriano superius eam referendam esse et poëtam ipsum iam in fonte aliquo fabulam paratam inuenisse intelligitur.

Fabulam 55 Rutherfordius (prol. p. XLVII) ad Zenobii III, 54 rettulit, Crusius, ut iam supra dictum est, melius eam iam in fonte aliquo paratam a Babrio receptam esse e prouerbio, ut dicit, fabulae simillimo Diogeniani supra commemorato conclusit. Prouerbium illud uulgatissimum fuisse ex disputatione eiusdem uiri luculentissima, quae Rhen. Mus. XLIV p. 459 sqq. inest, facile colligitur.

Fabulae Babrianae 56 prouerbium aliquod antiquissimum subesse Rutherfordius ea re commotus statuit, quod iam Epicharmus 43 p. 270 L. similem sententiam prouerbii formam prae se ferentem attulit. Quod fabulator simiam inducit, id haud dubie ex argumento illo supra tractato fluxit, quo simia omnium animalium maxime fetum amare dicitur (cf. Plin. nat. hist. VIII,

54, 216). Quoniam Auiano, qui a Babrio pendet, excepto nullo alio litterarum antiquarum loco eiusdem argumenti fabula exstat, ipsum Babrium prouerbium ad tractandum sibi sumpsisse haud improbabile uidetur esse.

Fabulam 61 Rutherfordius (prol. pag. XLV) e prouerbio Zenobii III, 50 amplificatam esse apte coniecit. Ad formam narrationis constituendam tamen nescio an ualere potuerit etiam prouerbium, cuius mentionem fecit Aelianus nat. an. XIV, 25: »μηδὲν βοῖ καὶ δελφῖνι κοινόν», quod uerbis his illustrat: »οὕτω φιλία χερσὶν ἁλιέων καὶ ἀρότρῳ πόθεν ἂν γένοιτο;» Babrium ipsum fabulam ad prouerbium composuisse propter explicationem prouerbio a Zenobio additam, quae ab omni parte cum narratione Babrii congruit et, ut de prouerbio Diogeniani supra tractato statuit Crusius, fabulae simillima est, credi uix potest.

Fabulam 62 sicut etiam Plutarchi (Mor. 178, 6) cum ea congruentem ad prouerbium nobilissimum »τοῦ πατρὸς τὸ παιδίον», quod App. Soph. 65, 17 exstat, compositam esse Rutherfordius (prol. p. XLV) recte, credo, coniecit. Accommodatio certe prouerbio addita quam optime conuenit. Multa autem etiam alia de mulo dicta quin ad hanc narrationem confingendam ualere potuerint non est dubitandum. Aelianus (nat. an. XVI, 9) uelocitatem mulorum laudibus effert, nec non Phaedrus mulum hac in re filium equa dignum putare uidetur, ut ex fab. III, 6 uers. 9: »Satis ubi tricandum et ubi sit currendum scio» colligere licet. Asini contra stuporem in ore omnium fere fuisse idque animal ineptissimum et maxime contemnendum uisum esse et ex fabulis nobis seruatis (Babr. 125, 131, 139 ed. Crus. Phaedr. I, 11; I, 21; I, 29; App. XII;) et ex prouerbiis, quae libello »De prouerbiis Alexandrinorum» insunt, 32 et 33 concludendum est. Neque satis scio an ad

hanc fabulam explanandam etiam id aliquantum ualere possit, quod asini quum pabulo impleti lasciuirent, apud scriptores antiquos σκιρτᾶν, equi κριθιᾶν dici solebant. Vt Babrius 139, 3 (ed. Crus.) habet »σκιρτῶν δ'ἐπήδα» et 163, 5 (ed. Crus.) »σκιρτῶν ἔμελλε . . .» et Aristophanes Vesp. 1305 »ὥσπερ καχρύων ὀνίδιον εὐωχημένον ἐνήλατ' ἐσκίρτα . . .» Aeschylum autem in fabulis suis »κριθιῶντα πῶλον» commemorauisse lexica docent. Simile quid etiam in exemplari Babrii de mulo dictum esse inde concludas, quod fabula Halm. 157, quae hoc modo initium capit: »ἡμίονός τις ἐκ κριθῆς παχυνθεῖσα ἀνεσκίρτησε» uerbo ἀνασκιρτᾶν mulum asino, Babrius uers. 2 κριθιᾶν uerbo equo adaequauit.

Quum de fabula Babr. 115 disputatio erat, demonstratum est Rutherfordium falso (prol. pag. XLVII) statuisse ei narrationi subesse prouerbium Pseudo-Plutarchi 25: »ἄνευ πτερῶν ζητεῖς ἵπτασθαι». Verisimile autem mihi uidetur esse id prouerbium ad fabulam 65 confingendam pertinuisse. Quod enim apud Babrium grus dicit pauonem sicut gallum humi alas agitare neque »ἄνω φαίνεσθαι», auctor quum has aues quamuis uolare non possent, »τοῖς πτεροῖς», ut de pauone ait Aelianus nat. an. V, 21, »θαῤῥεῖν» uideret, dignas eas existimauit, ad quas prouerbium illud transferret. Babrius et fabulae Halm. 397 et 397[b] quum colorem gruis pauoni ludibrio fuisse fingunt, haud dubie sententiam communem antiquorum afferunt, ut ex Aeliani nat. an. V, 21 uidere licet, ubi dicitur pauo quum satis scire se auium pulcherrimum esse, tum quod potissimum corporis ornamentum forma excellat intelligere.

Fabulam Babrii 69 Rutherfordius (proleg. pag. XLVI), cui Crusius (ed. pag. 61) quum de Aristoph. Ran. 192 moneat, assentiri uidetur, ex prouerbio »Λαγὼς περὶ κρεῶν» ortam esse docuit, neque dubium esse

potest quin fine saltem fabulae prouerbio illi alludatur. Fabulae autem historia nullo modo tam perspicua, quam suspicatur Rutherfordius, uidetur esse. Si recte uerba uiri docti obscura intellexi, statuit aequalibus Aristophanis fabellam argumentum Babriano simile proferentem cognitam esse, non eam autem, sed prouerbium ex fabella illa ortum auctorem fabulae Babrianae ut narrationem suam scriberet commouisse. Mihi quidem auctor Babrii et fabulam quandam antiquam et prouerbium cognouisse et narratione noua inter se coniunxisse uidetur. Miror uiros doctos non uidisse fabulam Phaedri V, 10 (Havet.) ad similem fere originem atque Babrianam pertinere. Quae res eo certior uidetur esse, quod uideo Romulum et Ademarum (cf. ed. Haveti) pro sue fabulae Phaedrianae graecum, ut opinor, exemplar secutos leporem induxisse. Neque satis scio an ipse Phaedrus iis, quae uers. 5 scripsit, indicauerit se personam leporis ab auctore graeco inductam in suis minus apte mutauisse. Quod enim poëta romanus canem aures suis arripientem facit et Romulus (cf. Havet.) *auritum* leporem inducit, uideo Aelianum nat. an. XIII, 14 scripsisse leporibus in auribus maximum praesidium esse, quo et ut cursum accelerarent, uti possent et ut auribus iuxta tergum deflectendis impetum hostium uitarent. Quod igitur in fabula Phaedri canis »praedam dimisit», id in fonte graeco non propter dentes canis cariosos, sed propter aures leporis in tergum deflexas factum esse credo. Hac autem de personis inter Babrium et Phaedrum discrepantia sublata et fine fabulae Babrianae, qui ad prouerbium refictus est, praetermisso nullum aliud restat discrimen, quam quod Phaedrus uenatorem, Babrius caprarium inducit, cui rei tamen nihil tribuendum est.

Fabulam 76 ad prouerbium Zenobii II, 33, quod etiam in libro, qui est de prouerbiis Alexandrinorum,

(19) exstat (cf. ed. Crusii pag. 68), compositam esse recte Rutherfordium (prol. pag. XLIV) statuisse e uerbis equi exeunte fabula prolatis facile colligitur. Quoniam auctore Crusio (Prou. Alex. comm. p. 53) idem argumentum tractauerunt Libanius et Procopius sophistae atque explicatione a Zenobio et Plutarcho prouerbio addita apparet eos fabulam a Babriana parum abhorrentem cognouisse, iam in fonte aliquo rhetorum narrationem paratam exstitisse credendum est. Babrium autem in fabula enarranda operam dedisse ut argumentum amplificaret inde concludas, quod et idem fere significantia cumulauit ut uers. 2: »ἐκρίθιζε κ'ἄτρεφεν χόρτῳ» et pro una duas sententias attulit ut uers. 4: »ἐπεὶ δ'ἐπαύσατ', ἦν δὲ λοιπὸν εἰρήνη» et descriptionem belli ineuntis (cf. Theo. W. I, pag. 177 l. 18) adhibuit uers. 12—13: »σάλπιγξ τ'ἐφώνει πᾶσιν ἀσπίδα σμήχειν ἵππους τε κοσμεῖν καὶ σίδηρον ὀξύνειν».

De fabula 92 ad prouerbium nobilissimum Zenobii II, 36 ficta conferenda sunt, quae luculentissime disputauit Crusius (Babr. aet. p. 213). Addere uelim ad narrationem conformandam etiam argumentum illud Aesopeum Babr. 50 = Phaedr. App. 28 ualuisse mihi uideri; cf. Babr. 50, 3: »πρὸς θεῶν σε σωτήρων» = 92, 4: »ὦ πρός σε νυμφῶν» et 50, 7: »ἦλθεν κυνηγός, καὶ τὸν ἄνδρ'ἐπηρώτα, μὴ τῇδ' ἀλώπηξ καταδέδυκεν ἢ φεύγει» = 92, 4: »ἆρα γινώσκεις ἴχνη λέοντος, ὅστις ὧδε φωλεύει;»

Fabula 112 quo modo orta sit eam ob rem difficile est diiudicare, quod Auian. 31 excepta a nullo alio auctore quam Babrio commemoratur neque eius exstat uola nec uestigium. Quoniam autem tota narratio prouerbium amplificatum indicat, collectiones paroemiographorum peruoluenti mihi nullum, ad quod melius haec fabula quadraret prouerbium occurrit quam Plutarchi 41 (Prou. Alex. ed. Crus. pag. 20): »βουλήσεταί τις μᾶλ-

λον ἢ δυνήσεται», cui explicatio additur: »ἐπὶ τῶν προαιρουμένων μὲν ἀδικῆσαι, οὐ δυναμένων δέ». Crusius quum post hanc explicationem lacunam statuit et docet (comment. pag. 11) »enarrationem excidisse», nobis occasionem dat coniciendi hoc loco olim historiolam, quae ad originem fabulae illustrandam ualere potuisset, lectam esse.

Crusium (Babr. aet. pag. 218) fabulam 125 ad prouerbium Zenobii I, 42 compositam esse et asinum ab ipso poëta pro haedulo prouerbii introductum esse conicientem quamquam difficile erit argumentis certis redarguere, tamen non dubito quin inter prouerbia, quae de asino erant, permulta in antiquitate cognita fuisse potuerit, ex quo haec fabula oriri posset. Iam monui Phaedrum in fabula app. 12 (Havet.) componenda simile adagium conuertisse. Neque tamen satis scio an uerisimilius etiam sit hac narratione tantum retractatum esse argumentum fab. Babr. 131 = Rom. I, 16, unde asini personam a poeta sumptam esse conicit Crusius; cf. fab. 131: »κυνίδιον» = 125: »πίθηκος» et 131, 15: »τὴν τράπεζαν ἔθλασ'» = 125, 2: »τὸν κέραμον ἔθλα» et 131, 19: »θεράποντες» = 125, 2: »ἀνθρώπων τις».

Non prouerbia solum, sed etiam dicta popularia rhetoribus haud raro ad fabularum scribendarum rationem translata esse iam Phaedri fabulae ostendunt. In commentario enim Haveti inuenio fabulam III, 8 cum Plutarchi Coniug. praec. 25 p. 141 D et III, 9 cum Athen. XII, 45 plane congruere, neque parui aestimandum est quod in codicibus nullis interpositis fabulis inter se connexae proferuntur, ut iam alio loco monui Phaedrum in fabulis libri primi disponendis eo modo certam rationem secutum esse, ut fabulas ad similem originem pertinentes inter se coniunctas afferret. Quoniam in ceteris fabularum collectionibus neutrius horum argumentorum

mentio fit, non dubito quin ipse Phaedrus sectam aliquam rhetorum secutus dicta illa inuestigauerit et ad fabulas transformauerit. Si progymnasmata Theonis peruoluerimus, ne hanc quidem argumentorum inueniendorum rationem, quamquam capite II ineunte (W. I p. 158), ubi praecipit ut magistri iuuenibus exempla ex operibus antiquorum sumpta proponant, eam respexisse potest, a praeceptore illo uerbis apertis commendatam inuenire licebit. Vt autem Babrius a Theone non proxime pendens prouerbia in usum conuertit, ita etiam eum uel potius sectam eius dicta popularia et sententias, quae ipsa natura ad prouerbia proxime accedunt, ad fabulas componendas sibi sumpsisse e scriptis Babrii apparet. In libro Babriano ad tales sententias referendas esse duas fabulas 34 (cf. Babr. aet. pag. 207) et 53 (Babr. aet. pag. 208) uidit Crusius, unam 51 (cf. comment. pag. 56) Rutherfordius, quam ob rem has quoque sicut eas, quae iam supra tractatae sunt, ad disciplinam rhetorum pertinere et in libro Babrii posteriore reponendas esse statuendum est.

De fabulis ad aliarum similitudinem refictis.

Hausrathius quum locum Theonis (W. I, pag. 178), qui est de argumentis nouis ex epilogo ueteris fabulae protrahendis, in medium protulit (l. l. pag. 313), rem, quam magni fecisse ipse Theo uidetur, commemorare omisit. Recte monuit Theonem praecepisse ut discipuli et sententiam generalem e fabula protrahere et sententiae generali eo modo protractae conuenienter nouam narrationem confingere discerent. Id quoque recte animaduertit iuuenes, quum tali ratione noua argumenta fingerent, plerumque ex epimythio ueteris fabulae egressos esse. In collectione Halm. multas fabulas eo modo ortas esse inuenire facile est, ut 261 haud dubie orta est ex fab. Aesopea Babr. 25 = Rom. II, 9 et Halm. 134 et 362 ad exemplar Babrii 115 refictae sunt. Multo tamen latius hanc scribendi rationem patuisse ex uerbis Theonis, quae eodem loco habet, ab Hausrathio neglectis et praeteritis nobis colligendum est, quibus monet rhetor plures epilogos ex una fabula fieri »ἐξ ἑκάστου τῶν ἐν τῷ μύθῳ πραγμάτων τὰς ἀφορμὰς ἡμῶν λαμβανόντων». Ex his Theonis uerbis perspicuitate maxima elucet non ex epimythio solo uel sententia generali e tota fabula protracta rhetores sectam Theonis secutos, ut noua argumenta inuenirent, egredi potuisse, sed etiam ex rebus et sententiis singulis ueteris alicuius narrationis sibi ansam ad fabulas fingendas sumpsisse. Vnde sequitur fabulas multiplices et uarias ad unius certae cuiusdam exemplum fingi potuisse, atque re uera Babrium hoc modo fecisse indiciis perspicuis, credo, probari potest.

Ad eius generis originem referendae esse uidentur fabulae: 6, 7, 13, 44, 45, 73, 91, 101, 104, 120.

Argumentum fabulae Aesopeae, quae est Babr. 27 = Phaedr. I, 22, praecipue rhetores posteriores ut nouas fabulas confingerent commouisse inde colligas, quod et Babrius tribus certe fabulis (6, 13, 124) id recoxit nec non in collectione Halmii similes narrationes inuenire licet. Vt de fabula Babr. 6 primum quaeratur, personis eius mutatis (piscator = homo; pisciculus = mustela) argumento, si finem eius, quem »languere et scholasticum esse» Crusius (Babr. aet. p. 204) animaduertit, equidem ad prouerbium nescio quod referendum esse censeo, exceperimus, omnino eadem atque Babr. 27 = Phaedr. I, 22 est. De fabula 13 mox infra disputabitur. Alio autem loco commonui in Babr. 124 idem argumentum nonnullis rebus nouis inductis recurrere, et e uersibus fab. 6, 5: »ὁ δ'αὐτὸν οὕτως ἱκέτευεν ἀσπαίρων» et fab. 124, 6: »ὁ δ'αὐτὸν οὕτως ἱκετευε μὴ κτείνειν» conicere licet Babrium ante oculos habuisse exemplar argumenti Aesopei, quod ad narrationem Phaedri, ubi mustela: »Parce quaeso», inquit, »mihi», propius quam ad ipsius accessit. Fabula Halm. 231, quam »summam argumenti» Babr. 6 exprimere Crusius (Babr. aet. p. 204) monuit, Babrianae gemella fabula ad fontem eundem, unde suam prompsit Babrius, pertinere uidetur ita, ut nobis in memoriam necessario redeat Theonem (W. I p. 178) dixisse ex singulis epilogis plures fabulas oriri posse. Ad eundem epilogum ex argumento Aesopeo, quod dixi, protractum etiam Halm. 307, quae de uespertilione et mustela est, refictam esse apparet. Argumentum uetus aliquod ex historia naturali fortasse sumptum, quod uespertilionem locum medium inter pecudes et aues obtinentem facit, iam a Phaedro (cf. Rom. III, 4) tractatum ab auctore fab. Halm. 307 rationem

scholasticam secuto haud dubie electum est, cui argumentum illud antiquius, quod de mustela ab homine prensa erat, implicaret. Etiam Halm. 195 et 356 ad eandem originem referendas esse apparet. E quibus omnibus elucet et auctorem Babrii et alios rhetores sectam similem amplexos ex argumento Babr. 27 = Phaedr. I, 22 ansam ad nouas fabulas inueniendas cepisse. Vt autem ad Babr. fab. 6 redeamus, in eam nonnulla fortasse etiam, quae ad uitam piscium pertinere audiuerat auctor, immixta esse possunt, ut uers. 8 quod pisciculus se nuper a matre ad saxum eiectum esse dicit, ad similem antiquorum sententiam referri posse uidetur atque Aelian. nat. an. IX, 63, ubi discimus nonnullos pisces oua arenis » προσαποτρίβειν» et XIII, 3, ubi nonnulli pisces inter saxa uitam degere dicuntur. Ad uersum 10, quo pisciculus se algas marinas comedere fatetur, illustrandum nescio an ualere possit Aelian. nat. an. XIII, 3, ubi discimus »φυκία τροφὴν ἰχθύων εἶναι».

Fabulam 7 uestigia rhetorum scribendi artis prae se ferre iam alio loco dictum est. Originem autem fabulae si quaerimus, iam primo obtutu apparet eam quam proxime cum Babr. 76 cohaerere, neque re uera satis scio an etiam haec fabula ad idem prouerbium ad quod illa illustrandum conscripta esse possit. Summam enim fabulae eandem esse facile est uidere. Equus ferocissimus quum semper »κενὸς παρέλκεσθαι» (qua de phrasi cf. Rutherf. comment. pag. 12) adsuetus esset, post mortem asini ipse uice asini fungens prouerbium illud »ἀφ'ἵππων ἐπ'ὄνους» quam optime illustrauit. Melius tamen alia ratione fabularum 7 et 76 societas explicari posse uidetur. Praecepto enim illi Theonis conuenienter tota fabula 7 eo modo ex fabula 76 orta esse uidetur, ut quum e uersu fab. 76, 10: »σάγην δὲ νώτοις ἔφερεν

οὐκέθ'ἱππείην» ansa ad nouam narrationem fingendam capta esset, uersus in epilogum mutatus ad fabulam 7 componendam ualeret, atque re uera eius originis uestigium auctor uersibus 12—13: »ἐπ'αὐτὸν ἐτίθει τὴν σάγην τε τοῦ κτήνους, καὶ τὴν ὀνείην προσεπέθηκεν ἐκδείρας» retinuit.

Fabulam Babrii 13 si perlegerimus, facile, credo, elucebit argumentum eius sicut Babr. 6 et 124 cum fabula ea Aesopea conuenire, quae est Babr. 27 = Phaedr. I, 22. Vt in Aesopea fabula mustela, ita in hac ciconia argumenta diuersa proferens ab homine petit ut sibi parcat. Sed neque huic neque illi res ex sententia processit. Ex ipsa Babrii fabula difficillimum est eruere unde egressus auctor ἀφορμήν ad nouam fabulam componendam sibi sumpserit. Si autem fabulas, quae in collectione Halmii exstant, respexerimus, duae fabulae formae leguntur, quarum quamquam neutra a Babrio pendere uidetur, tamen altera 100 propius ad narrationem Babrii quam altera 100[b] accedit. Vt exemplum unum solum afferam, ciconia quum in fabula Halm. 100[b] de colore suo tacet, in Babriana et Halm. 100 hominem commonet se colore suo a gruibus facillime distingui. Nihilo minus fabulam Halm. 100[b] propius quam aut Babrianam aut Halm. 100 ad exemplar primigenium fabulae accedere eam ob rem statuendum est, quod Halm. 100[b] etiam nunc nobis ἀφορμήν illam ad fabulam componendam adhibitam, quae ex Aesopeo argumento, quod dixi, sumpta est, continet. Quod enim in fabula Halm. 100[b] ciconia dicit se hominibus quam maxime prodesse serpentes comedentem (cf. Halm.: »ἀλλὰ καὶ ὠφελιμώτατος· τοὺς γὰρ ὄφεις καὶ τὰ λοιπὰ ἑρπετὰ συλλαμβάνων ἀναιρεῖν»), id satis nobis ostendit argumentum totius fabulae ex sententia Aesopea, de qua alio loco disputaui, quaeque uersui 4 fabulae Babrii 27 sub-

est, primum ortum esse; uersus Babrii hic est: »ὡς κακὴν χάριν τίνεις ὧν σ'ὠφέλουν θηρῶσα μῦς τε καὶ σαύρας», quocum comparandus est locus, quem ex fabula Halm. 100[b] excerptum supra attuli. Huic autem argumento principali nonnulla etiam ex aliis narrationibus sumpta immixta esse facile est uidere, ut in uers. 8 quod ciconia dicit se erga parentes piam auem esse, inuenio Porphyrium (De abstinentia III, 11) de eadem re habere: »Τίς τῆς τῶν πελαργῶν δικαιοσύνης πρὸς τοὺς τεκόντας ἀνήκοος;» In fine fabulae prouerbium nescio quod latere potest. Ad hanc fabulam Babrianam quam proxime accedit Halm. 65, ut eidem officinae deberi uideatur.

Crusius (Babr. aet. p. 207) Babrium fabula 44 argumentum uetus corrupisse ea re commotus statuit, quod Themistius similem fabulam narrans uulpem leonis ministram induxit. Quamquam fabulam indicam Benfeii (Pantschat. I, 93), qua nititur uir doctus, adire mihi non licuit, inde quod auctore Crusio leo, thos, taurus, non tauri inducuntur, argumentum eius re grauissima a fabulis Babrii et Themistii abhorrere concludo. Summam enim fabularum graecarum, quae haud dubie ad uim concordiae illustrandam pertinet, quum fabula indica unum taurum proferens continere non possit, ne eadem quidem atque graecae esse potest. Quae quum ita sint, uerisimilius esse uidetur auctorem fabulae graecae argumentum illud supra commemoratum Plut. de garrul. 17 = Babr. 47 retractauisse (cf. uerba Babrii: »ὁμοῦ μὲν αὐτοὺς οὐκ ἔδοξε νικήσειν, χωρίσας δ'ἀπ'ἀλλήλων ἕκαστον αὐτῶν ἔσχε ῥᾳδίην θοίνην»). Quod Themistius uulpem ministram leonis induxit, id eum similium narrationum, ut Babr. 95, de qua ipse Crusius monuit, memorem admisisse credendum est.

Fabulam illam nobilissimam Phaedr. I, 4 = Babr. I, 79 rhetoribus ad noua argumenta inuenienda pertinu-

isse ipso Theonis (Walz. I, p. 177 sqq.) testimonio docemur, qui hac ipsa fabula pro exemplo utitur, ut ostendat quomodo epilogus eruatur et deinde ad epilogum noua fingatur narratio. Epilogus, quem attulit, est: qui maiora appetant, eos plerumque se ipsos simul cum iis, quae ante possideant, pessumdare. Hunc ipsum epilogum re uera fabulatori uel fabulatoribus pro exemplari, ad quod noua fingerent argumenta, adhibitum esse testantur Halm. 254 et 337[b]. Ne igitur miratus sis Babrium uel auctorem eius, ut qui sectam Theonis amplecteretur, eundem epilogum duabus nouis fabulis illustrauisse. Fabulam Babr. 45 tali artificio deberi e fine fabulae: »ἐλπίσας δὲ τὰ κρείσσω οὐκ ὤνατ' οὐδ'ὧν αὐτὸς εἶχεν ἐκ πρώτης» quiuis, credo, perspiciet. Argumentum hoc modo ortum in ludis diligenter tractatum esse ostendunt Halm. 12 et 12[b], quarum altera fabulae amplificatae exemplum, altera comprehensae profert. Aliquanto difficilius de Babr. 73 uerum eruere uidetur esse. Crusius (Jahrb. f. Philol. CXXVII pag. 246) fabulam Nicephori Chumni attulit plenissimam, qua miluus a principio cantu olorem (Crusius hoc loco optime de Halm. 170 ineunte monuit) superans, postea autem munere illo deorum intemperanter abusus a Joue canendi facultate priuatur. Quam historiam nescio an auctor Aeliani nat. an. II, 47 cognouisse potuerit, quum dicat miluum auem alioquin rapacissimam a sacris Jouis semper abstinere. Non dubium est quin ex his omnibus colligendum sit argumenti summam ad narrationem aliquam popularem referendam esse; quod autem ad formam fabulae, qualis apud Babrium et in collectione Halm. legitur, attinet, ex uerbis eius exeuntibus: »οὔτε τὴν κρείττω φωνὴν θελήσας ἔσχεν οὔτε τὴν πρώτην» haud dubie apparet argumentum illud Aesopeum Babr.

79 = Phaedr. I, 4 ad narrationem primigeniam mutandam ualuisse.

Fabulam Babr. 91 ad exemplar argumenti eius confectam esse statuendum est, quod etiam Phaedri fabulae III, 6, quae est de musca et mula, subest. Muscae enim partes apud Babrium agit hircus, mulae taurus, mulionis leo. Quemadmodum apud Phaedrum musca mulae minatur, ita apud Babrium hircus in taurum incurrit; ut mula minas muscae contemnit, ita taurus hirci impetum. Quam fabulae historiam si ueram esse confessi erimus, etiam ad lectionem uersus 5 fabulae Phaedri constituendam uerba Babrii ualere poterunt. Quod enim habet Babrius uers. 5: »οὐ σέ, τὸν λέοντα δ'ἐκκλίνων κτλ.», ad eandem phrasin exemplaris ea uerba pertinere apparet atque Phaedri: »Verbis non moueor tuis; sed istum timeo qui . . . .» Havetus quum auctore Delaruelle » magistrum» pro »sed istum» lectione codicum ea re commotus scripsit, quod Phaedrus »iste» pronomine non nisi de secunda persona uteretur et »sed» coniunctio hoc loco minus placeret, non uidit, »δέ» particulam sententiae graecae ab auctore expressam esse. Si »istum» corrigere necesse est (quod credi tamen uix potest), melius uidetur esse »sed illum» quam »magistrum» commendare. Babrius auctorue eius quum ad fabulam suam conscribendam aggrederetur, ex hoc ipso exemplaris loco ansam ad nouum argumentum fingendum sumpsisse uidetur. Etiam alios rhetores similes narrationes finxisse ostendit Halm. 230, ubi canis muscae, lupa mulae partes agit.

Argumentum, quod est Babr. 101, ad exemplum fabulae Aesopeae eius compositum esse, quae Phaedri I, 3 = Babr. 72 subest, iam primo obtutu apparet. Lupus = graculus; leones = pauones (cf. etiam Phaedr. I, 3, 6—7: »exin contemnens suos immiscet se pauonum

formoso gregi» = Babr. 101, 3—4: »τῶν δὲ συμφύλων ἀποστατήσας τοῖς λέουσιν ὡμίλει»). Fabula quum narratione Babriana excepta nullo auctorum antiquorum, quantum scio, loco aut narretur aut commemoretur, nescio an ab ipso Babrio ad exemplar fabulae, quam dixi, Aesopeae composita esse possit.

Hoc loco etiam fabulam 120 commemorandam esse inde apparet, quod, ut iam Keller (l. l. p. 392) monuit, iis narrationibus, in quibus medici irridentur, quasque in collectionibus crebro occurrere ex Hausrath. l. l. pag. 318 uidere licet, adnumeranda est. Etiam in sylloge Aesopea fabulam talis argumenti exstitisse, unde egredi possent rhetores, iam alio loco dictum est. Hanc narrationem non ab ipso Babrio inuentam, sed in ludis rhetorum diligenter tractatam esse inde intelligitur, quod auctore Crusio (ed. p. 108) et Aphthonius et Nicolaus sophistae eam cum Babrio consentientes enarrauerunt. Quod ad initium fabulae Babrii attinet, uersus duo primi descriptioni ranarum apud ueteres fabulatores solitae deberi uidentur, quod ex Phaedri I, 2: »Ranae uagantes liberis paludibus» et I, 6, 7: »Stagni incola» et I, 30: »Rana e palude» facile colligas.

In argumentis ad ueterum exemplum fingendis auctor Babrii aliique rhetores eam maxime rationem secuti esse uidentur, ut personas mutarent (cf. Babr. 6, 13, 27, 124 et 44, 47 et 45, 73, 79 et 72, 101). Si personarum, quae in fabulis hoc capite tractatis inducuntur, rationem habuerimus, etiam inde eas nouicias esse apparebit, quod nonnullis exceptis animalia aut fabulis Aesopi incognita aut in iis rara in scenam prodeunt. Vt ciconia fabulae 13 hoc solo loco Babriano introducitur, apud Phaedrum in I, 26 occurrit, quam in sylloge Aesopea a Phaedro inuentam esse etsi uerisimile est, tamen nullo modo uetustioris aeui est fabula.

Miluus fabula 73 excepta in scriptis Babrii nobis seruatis plane deest, a Phaedro in serioris aetatis fabula I, 31 introducitur. Quod miluus in Rom. I, 18 prodit, id exemplari graeco non ascribendum esse inde apparet, quod Babr. 78 coruum auem Aesopeam introducit.

De fabulis, quae aut e scriptis auctorum ueterum sumptae aut ad argumenta inde petita refictae sunt.

Crusius ut Babrium ab eodem fabularum fonte atque Theonem pependisse coniceret ea maxime re commotus est (cf. proleg. pag. XXXII), quod Theo exempla e scriptis ueterum sumpta iuuenibus ediscenda commendans haud pauca commemorauit argumenta, quae apud Babrium recurrunt, unde recte conclusit uir doctus (encycl. Wissow. II, p. 2662) Babrio sophistae et ea ipsa argumenta, quae cum Theone consentiens tractauit, et alia quaedam similia ascribenda esse. Quoniam autem iis praesertim auctoribus antiquis, qui in rerum gestarum memoria exigenda uersati erant, rhetores operam dabant (id enim ea ex re facile apparet, quod auctore Rhodio Griech. Rom. p. 320 adn. 1 ad genera eloquentiae συμβουλευτικόν, δικανικόν, ἐγκωμιαστικόν quartum ἱστορικόν adiecerunt) haud difficile est intelligere rhetores, qui quidem fabularum generi operam darent, fabulas suas e scriptis ueterum excerptas e rerum potissimum scriptoribus sumpsisse. Atque re uera fabulae omnes a Theone l. l. commemoratae e rerum scriptoribus sumptae sunt. Crusius igitur quum statueret Theonem et Babrium eadem exemplorum collectione, in qua talia παραδείγματα exstarent, usos esse (cf. encycl. Wiss. II p. 2663 et Philol. LIV p. 745), nescio an sententiam ita restringere debuerit, ut de exemplis e rerum scriptoribus solis sumptis statueret. Eo maiore iure rerum scriptores a fabulatoribus penitus cognoscen-

dos sumi potuisse inde etiam intelligitur, quod auctore Rohdio (Griech. Rom. p. 336 adn. 1) uiri eius aetatis docti haud pauci rerum scriptorum munus ad poëtarum proxime accedere censuerunt, ut Agathias teste eodem uiro docto habet: »οὐ πόρρω τετάχθαι ἱστορίαν ποιητικῆς, ἀλλὰ ἄμφω ταῦτα εἶναι ἀδελφὰ καὶ ὁμόφυλα καὶ μόνῳ ἴσως τῷ μέτρῳ ἀλλήλων ἀποκεκριμένα». Multa autem etiam ex poëtis, tragicis praecipue peti potuisse ea ex re colligendum est, quod auctore Rohdio (l. l. pag. 333) studiis Aeschyli, Sophoclis, Euripidis adeo incumbebant rhetores posteriores, ut tragoedia »mater sophistarum» appellaretur. Neque re uera cum Crusio (encycl. Wissow. 2664) nobis eleuanda sunt, quae Keller (l. l. p. 402) de Babrio tragicorum imitatore disputauit. Multo pauciora e philosophis, ut qui rhetorum gratia excidissent (cf. Rohd. l. l. p. 320), sumpta esse uidentur. Babrium fabulas hoc modo ad scripta ueterum referendas ex florilegio a rhetore nescio quo composito iam paratas petiuisse Crusius l. l. haud dubie de nonnullis argumentis recte statuit, aliae autem quin ex recordatione poëtae ipsius locorum auctorum ueterum (cf. Theon. W. I p. 178, ubi discipuli rhetorum dicuntur »πολλῶν ἐμπεπλῆσθαι μύθων, τοὺς μὲν ἐκ τῶν παλαιῶν συγγραμμάτων ἀνειληφότες, τοὺς δε . . .») fluxerint propter fabulas, quales sunt 46, 135, aliae, dubitari non potest. Nonnulla argumenta etiam eo modo orta esse uidentur, ut poëta ansa a loco aliquo auctoris ueteris capta plane nouam refingeret narrationem.

Vt ab iis incipiatur argumentis, quae e rerum scriptoribus sumpta sunt, Crusius in editione (pag. 16, 61, 89) monuit Babr. 9 ex Herodoti I, 141, Babr. 70 ex Theopompo fr. 139 (F. H. G. I p. 302), Babr. 98 ex Diodori 19, 25 fluxisse. Addendum esse censeo

Babr. 135 (Schneid.) = 136 (Crus.) ad Herodoti I, 34—46 refictam esse. Babr. 9 ex florilegio παραδειγμάτων sumptam esse quin recte statuerit Crusius eam quoque ob rem dubitari nequit, quod a rhetoribus uulgo tractabatur. Praeter Theonem enim etiam Aphthonium (fab. 33) eandem cognouisse et tractauisse in synopsi fabularum editionis Rutherfordii inuenio. Ad locum Herodoteum Stein (comment. p. 211) notauit Eu. Matth. XI, 17: »ηὐλήσαμεν ὑμῖν καὶ οὐκ ὠρχήσασθε», quae uerba tamen in exitum Babrianae et Halm. 27 melius quam in Herodoteae quadrare uidentur (cf. Halm. 27: »ὅτε μὲν ηὔλουν, οὐκ ὠρχεῖσθε»). Quod ad fabulam Babrii 135 (quoniam Schneidewini fabula mutila exstat, consulenda est Crusii 136 e tabulis Assendelftianis restituta) attinet, statuendum esse censeo eam ab ipso Babrio (nullo enim, quantum scio, loco auctorum, qui ad nos peruenerunt, legitur) ex iis recoctam esse, quae apud Herodotum I, 34—46 de filio Croesi narrantur. Quemadmodum enim senex fabulae Babrianae quum filium suum a leone necari in somno uidisset, ita apud Herodotum Croesus quum item in somno uidisset 'Ατυν filium suum hasta ferrea occidi, sollicitudine animi afflictus est. Neuter eorum quidquam intemptatum reliquit, ut iuuenem morti eriperet. Quoniam autem in fortuna magna est uis uel ad secundas res uel ad aduersas et fato praestitutum erat ut periret uterque iuuenis, apud Herodotum Atys Adrasti Gordiae filii hasta obiit, fabulae Babrianae iuuenis leonis dentibus laceratus est. In omnibus igitur rebus Herodotus et Babrius inter se consentiunt. Iam per se facile apparet eos rerum scriptores, qui e ludo Isocratis egressi artem rhetoricam ad res gestas perscribendas transtulerant (qua de re cf. Rohd. l. l. pag. 320), quam maxime a rhetoribus illis posterioribus ad usum ludorum accommodari potuisse, quam ob rem

mirum uideri nonp otest Theonem, quum fabulas e scriptis ueterum exerptas discipulis tractandas commendaret, etiam fabulam illam Theopompi, quae est de bello et iniuria dignam habuisse, quae diligentius retractaretur. Recte credo Crusium (Philol. LIV p. 745) animaduertisse Babrium ut ceteras narrationes, quas commemorauit Theo, e scriptis ueterum excerptas, ita Theopompi quoque locum ex collectione exemplorum usui rhetorum scripta sumpsisse neque ipsa auctoris opera cognouisse. Quod in fabula Babriana quocunque Ὕβρις (cuius de persona Babrio cum Theopompo communi cf. Crus. l. l.) uadit, Πόλεμος sequitur, id mihi magnam quandam similitudinem cum argumento illo habere uidetur, quod Socrates in Platonis Phaedone de uoluptate et dolore disputans nobis affert, eo modo duos sensus inter se coniungens, ut ex uno fastigio cohaereant: »ὡς θαυμασίως πέφυκε τὸ ἡδὺ πρὸς τὸ λυπηρὸν τῷ ἅμα μὲν αὐτὼ μὴ ἐθέλειν παραγίγνεσθαι τῷ ἀνθρώπῳ, ἐὰν δέ τις διώκῃ τὸ ἕτερον καὶ λαμβάνῃ, σχεδόν τι ἀναγκάζεσθαι λαμβάνειν καὶ τὸ ἕτερον, ὥσπερ ἐκ μιᾶς κορυφῆς συνημμένω δύ'ὄντε». Qui mythus tamen quomodo cum fabula Theopompi coniungendus sit, in dubio relinquere necesse erit. De fabula Babr. 98 e Diodoro XIX, 25 sumpta, quam a rhetoribus uulgo tractatam esse inde apparet quod, ut uidit Crusius (ed. p. 89), Georgius (Walz. I pag. 551) eandem attulit, conferenda sunt, quae Crusius (Babr. aet. pag. 187 adn. 4) disputauit, ad quae tamen animaduertere uelim etiam aliud fabulae principium quam, quod produxit Crusius (qui fabulam cum narrationibus, quibus animalia homines amantes inducuntur, comparat), cogitari posse. Est enim Halm. 263 fabula, in qua taurus eodem fere modo cornibus orbatus atque apud Babrium leo dentibus et unguibus se in hostem defendere non potest. Ex qua re nescio

an maiore etiam probabilitate egressus esse possit auctor fab. Babrianae.

Cetera omnia argumenta Babrii, quae e scriptis ueterum excerpta esse uidentur, ad poëtas referri debent. Haec sunt: 33, 46, 88, 114, 117, 126. Quoniam de fabula 33 quomodo orta sit difficillimum est statuere, malui cum Crusio (Babr. aet. p. 205) eam ad Psaromachiam epicam referente errare quam ipse coniecturam incertam proferre. Grues, de quibus falsus est Crusius (l. l. p. 207), eo maiore iure in fine fabulae induxit auctor, quod fabulatores eas praeter ceteras aues sementem agricolarum deuastantes faciunt (cf. Babr. 13 et 26). Rutherfordius quum (comment. p. 51) ad fabulae 46 uersum 9 illustrandum fragmentum Hesiodi (fr. 93 ed. Schoemann.) attulit atque locos permultos auctorum, qui uersus Hesiodi sequuntur, produxit, haud dubie etiam originem argumenti Babrii perspicuam fecit. Ad ea, quae produxit Rutherfordius, tamen addere uelim etiam Phaedrum idem argumentum e collectione fabularum nescio qua cognouisse uideri, quum uersu App. XXIV, 7 de coruo habeat: »Ideo senectam mille in annos prorogo». Crusius (proleg. p. XXXII) nobis auctor est poëtam nostrum »carmina Hesiodi pernouisse», unde etiam explicari potest hanc narrationem non sicut argumenta ex rerum scriptoribus sumpta, totam et paratam ex auctore uetere petitam, sed liberiore ratione retractatam esse. Ceruus, qui fragmento Hesiodi »τετραχόρωνος» esse dicitur, apud Babrium locum, ut uitam sustentaret, commodissimum elegit argumento ei quodam modo congruenter, quo Aelianus Var. Hist. XIII, 35 ceruum aegrotum seseli morbum curantem fingit. Ad accuratiorem autem argumenti expositionem constituendam dubio procul etiam fabula illa Aesopi, quae est Babr. 103 = Rom. IV, 12, aliquantum ualuit (in utraque enim persona

aegrotans et grex ζῴων ἐπισκοπούντων inducuntur). Si fabulam Babrii cum ea, quae est Halm. 131, comparauerimus, elucebit narratione Babriana formam fabulae antiquiorem proferri, quoniam locus ille maximi momenti, qui uersu 9 fab. Babr. seruatus de origine argumenti nobis testimonium praebet, ab Halm. 131 omnino praetermittitur. Alia autem eiusdem argumenti expositio quum nullo loco exstet, uerisimile uidetur esse ipsum Babrium, qua erat carminum Hesiodeorum scientia, fabulam composuisse. Etiam fabulam 88, quam auctore Crusio (Babr. aet. p. 204 adn. 1) Gellius II, 29 ex Ennio transscripsit, eadem fere causa ab ipso Babrio ex poëta uetere petitam esse credendum est. Ad originem fab. 114 eruendam credo Crusium (encycl. Pauly-Wiss. II, p. 2664) recte produxisse Callimachi ep. 55, quod si perlegerimus, apparebit fabulam Babrii ea fere causa scriptam esse, ut exitum epigrammatis Callimachei ironia impugnaret. Versibus enim Babr. 114, 1—3 uerba epigrammatis: »ἕσπερε πῶς ἔπεσες» fusius exposita uersu 4 lumine lucernae exstincto ratione risum excitante illustrantur. Fabulam 117 Crusius (encyclopaed. Wiss. II p. 2664) ex Aeschyli Sept. uers. 585—591 ortam esse recte uidit. Postremo etiam fabulam Babr. 126 (Schneidew.) = 141 (Crus.), qua Attis commemoratur, eodem fere modo ex poeta nescio quo Alexandrino, quos talia argumenta in deliciis habuisse constat, excerptam esse statuendum est.

Has igitur omnes fabulas: 9, 33, 46, 70, 88, 98, 114, 117, 126, 135, quae aut totae aut ex parte praecepto illi Theonis conuenienter e scriptis ueterum sumptae sunt, eam ipsam ob rem dubio procul ad artem rhetorum referendae et libro Babrii posteriori restituendae sunt.

De fabulis, quae propter sententias in iis prolatas posteriori aetati originem debent.

In iis fabulis, in quibus tractandis adhuc uersati sumus, omnibus praeceptum aliquod rhetorum, quod ad fabularum scribendarum rationem pertinuit, inuestigare licuit, unde concludi posset eas ad disciplinam rhetorum referendas esse. In reliquis autem supra non tractatis, ad quas exigendas transire iam tempus est, non tam ipsa ratio, ad quam scriptae sunt, quam iudicium auctoris et opiniones eius temporis hominum, quae in iis aperiuntur, nobis demonstrant, quo referendae sint. Iam diu satis constat aetate rhetorum illorum posteriorum, quorum disciplinam Babrius amplexus est, pietatem erga deos plane nullam fuisse, quod quum etiam de argumentis Babrii haud paucis ualere Crusius (Babr. aet. pag. 231 sqq.) uideret, inde conclusit eorum auctorem serioris aetatis scriptorem fuisse. Rutherfordius quoque (proleg. pag. XLI—XLIV) haud paucas fabulas produxit, quibus sententias a mythologia antiquorum alienas proferri probat. Ab argumentis Aesopeis, quas fabellis nutricularum proxime accedere dicit Quintilianus, quum narrationes mythologicas omnes longe abhorrere, tum historiolas impias ex iis, quae supra de Aesopi fabulis dicta sunt, apparere credo. Etiam fabulas, quibus argumenta obscoena tractantur, ad Babrium sophistam pertinere eadem causa statuendum est.

Quamquam autem Babrius in fabulis huc referendis sententias et suas ipsius et aetatis suae hic illic produxisse potest, tamen fabularum antiquarum reliquiis, quo-

ad eius fieri potuit, peruolutis facere non possum quin credam, quae apud Babrium de »religionibus antiquis dilabentibus», ut dicit Crusius, testarentur, non tam poëtae uel aetati eius deberi, quam ad consuetudinem communem scribendi fabulatorum iam multo ante Babrii tempus constitutam pertinere. Iam enim apud Phaedrum magisque etiam apud Plutarchum inuenio certum aliquod genus narrationum mythologicarum, quo sententiae ab opinionibus hominum antiquioris certe aetatis alienae proferebantur, iam multo ante tempus Babrii excultum esse. Crusius quum (Babr. aet. pag. 230) Tycham »primariam inter deos Babrianos locum tenere» statuit, idque cum opinionibus hominum id aetatis congruere auctore Rohdio probat, praetermisisse uidetur Tycham deam duabus solis (49 et 198 ed. Crus.) fabulis Babrianis introduci in iisque eam queri se ab hominibus »μέμφεσθαι». Eodem iure etiam Fortuna apud Phaedrum dea maxima esse diceretur, quum tribus locis I, 7, 4; IV, 12, 5; App. II, 4 (Havet.) introducatur. Dubium autem esse non potest quin Babrius, si religionem aetatis suae, cuius primariam deam Tycham fuisse Crusius auctore Rohdio recte statuit, respicere uoluisset, saepius deam illam introducturus fuerit. Longe alias Tychae partes esse in auctoribus a Rohdio allatis eum, qui exempla perlustrauerit, fugere non poterit. Iam antiquis temporibus mos fuisse uidetur ut inter fabulas numerarentur narrationes, quibus pro animalibus notiones abstractae, quales erant Virtus, Dolor, similes, inducebantur. Vt fabulam illam, quam in carcere de Voluptate et Dolore finxit Socrates, Aesopo conuenire autumat, Phaedrus IV, 12 (Hav.) Plutum, V, 8 Occasionem, App. IV Dolum, Veritatem, Mendacium inducit, Xenophon comment. II, 1 § 21 sqq. (= Halm. 158) Virtutem et Malitiam, Plutarchus uit. Themist. 18 Ἑορτήν et Ὑστεραίαν proferunt, Plutarchus

cum Babrio congruens (cf. ed. Crus. p. 23) de Sole et Aquilone fabulam narrauit, Babrius denique ipse fab. 71 Mare et 127 Veritatem inducit. Eius generis figuram personatam potius quam deam etiam Tycham Babrii esse credendum est. Vt autem cetera quoque argumenta, quae Crusius (Babr. aet. pag. 231—237) ad Babrium religionum contemptorem rettulit, recenseantur, primum fabulas duas 30 et 119, in quibus Mercurius producitur, commemorat, quibus tamen narrationes gemellas in collectione Halm. inuenire difficile non erit, unde colligendum est tales narrationes in ludis rhetorum uulgatissimas fuisse neque poëtae nostro, sed sectae magnae nescio cui fabulatorum late diffusae deberi. Quod Crusius monuit Babrium fab. 30 Hermas ludibrio habere, non uidit argumento plane similem esse fab. Halm. 137, in qua Mercurio roganti quanti effigiem suam uenderet, sculptor: »Si Jouis», inquit, »et Junonis statuas emeris, Mercurii gratis tibi donabo». Etiam fabulam Halm. 2, quae cum Babrio commune habet quod in utraque homo Hermam uenalem prostituit, ad effigies illas irridendas pertinere ex fine fabulae apparet, ubi uenditor dicit se Hermam, imaginem salutarem, uendere uelle, quod ipse celeri subsidio egeret, deus autem tarde succurrere soleret. Fabulam Babr. 119 uere impiam esse Crusio assentiri necesse erit, sed ne huic quidem narrationi componendae exemplar argumentum simile proferens defuisse et auctor ipse Crusius est, quum (Babr. aet. p. 232 adn. 1) dicit »imperatorum aetate factum esse ut uulgus, cum res minus prospere cessissent, simulacra deorum castigaret, abiceret, diffringeret», et ex aliis fabulis apparet, quae ostendunt Mercurium haud raro ioco et risui populi obnoxium fuisse. Vt fab. Halm. 315 uiator quum professus esset se, quidquid inuenisset, dimidiam eius partem Mercurio sacrificaturum esse, pera,

in qua amygdala et palmarum fructus erant, inuenta ipse, quae ad uescendum apta erant, consumpsit, glumas autem amygdalorum et ossa fructuum palmarum in ara dei ponens: »Et exteriora», inquit, »et intestina tibi tribuo». In Halm. 205 coruus se Apollinem decipere posse iam non sperans Mercurium inuocat. Quod ad fab. Babr. 20 iam alio loco commemoratam attinet, Crusio (l. l. p. 233) assentiendum est mirum uideri rusticum Herculem solum deorum uereri, atque suo iure forsitan statuerit argumentum a Babrio non recte intellectum esse. Summa autem fabulae quum etiam Halm. 424 contineatur, non potest ipsi Babrio deberi, sed probabile uidetur esse tales de Hercule historiolas rhetoribus in deliciis fuisse. Vt fabula Babrii auctore Crusio ad prouerbium Zenob. V, 93 ficta est, ita idem de Halm. 424 statuendum esse homo fabulae, qui auxilium Herculis inuocans ipse nihil agit (cf. explicationem prouerbio adiectam, prou. Alex. 36: »ἐπὶ τοῦ μὴ χρῆναι ἐπὶ ταῖς τῶν θεῶν ἐλπίσι καθημένους ἀργεῖν»), satis ostendit et confirmat epimythium, quo docemur deos non in rebus leuioribus, sed in necessariis inuocandos esse. Id quoque de origine fabularum communi testari uidetur quod, quum in prouerbio Mineruae mentio fit et Halm. 300 adagio conuenienter deam illam introducit, Babrius et Halm. 424 Herculem in scenam produxerunt. Fabula Babrii 23 a Crusio non commemorata, in qua rusticus deis, si furem tauri comprehenderit, agnum pollicetur, postea autem leonem eum esse uidens uel bouem, si effugerit, promittit, haud dubie ad eundem deorum dolum illustrandum pertinet atque Halm. 58. Vt rusticus fabulae Babr. agno, ita homo pauper fab. Halm. tota hecatombe promissa id, quod optat, impetrat. Vt autem rusticus Babr. fortunam re uera fugiendam, non expetendam fuisse, ita pauper Halm. 58 intellexit deos oraculum

delphicum illud, quod Xerxem magnum imperium euersurum esse pronuntiauit, imitantes dixisse se uenditum drachmas illas mille inuenturum esse. Crusius quum (l. l. p. 234) Hartungium uestigia religionum peregrinarum apud Babrium reperientem impugnat, in eo iniquus esse uidetur, quod Babr. 30, uers. 4, quo una cum Babr. 68 argumento grauissimo, ut Babrium Iudaeorum uel Christianorum religionum peritum esse ostenderet, usus est, silentio premit. Hartungius si re uera errauit, in eo id fecisse uidetur, quod credit id Babrii proprium esse. Praeter locos iam ab Hartungio prolatos ad similem originem referendam esse Babrii 11 Keller l. l. p. 328 monuit, quam quin ad historiolam illam de Simsone narratam (cf. lib. Judicum cap. 15, 4) refictam esse suo iure statuerit dubitari non potest. Crusius, qui (l. l. p. 235) de eadem fabula luculenter disputauit, nullam huius rei mentionem fecit. Apud Kellerum eundem inuenio Robertum, Weberum, Landsbergerum, Rothium in fabulis Aesopeis cum narrationibus sacrae scripturae aliquot coniungendis uersatos esse, quoniam autem eorum libros consulere non licuit, de eorum sententiis iudicare supersedendum est. Vt autem appareat Babrium non solum sophistarum in talibus argumentis tractandis uersatum esse, Halm. 138 fabula exstat, quae quin ex lib. Mos. I, 3, 17—19 orta sit dubitare non possum [cf. »στένοντες γὰρ αὐτὴν καὶ κλαίοντες ἀποδώσουσιν» = »Du skall äta ditt bröd i ditt anletes svett» (sueticis uerbis mihi uti liceat!)]. Quum in ceteris fabulis Prometheus (cf. Phaedr. IV, 16; Babr. 66, 2) hominum creator inducitur, Halm. 138 et 150 Jouem, cuius sub persona Jehoua Judaeorum latere uidetur, uirum et feminam finxisse perhibent. Id quoque pro origine, quam dixi, testari uidetur, quod in Halm. 138 Zeus hominem, ut foderet, in terram misisse (cf. lib. Mos. I, 3, 23: »Och Herren Gud förvisade henne

utur Edens lustgård, på det hon skulle bruka jorden») et in 150 Mercurius hominibus nuper creatis νοῦν infudisse dicitur (cf. lib. Mos. I, 2, 7: »Och Herren Gud formade människan af jordens stoft och inblåste uti hennes näsa en lefvande ande»). Fabulae Halm. 41 uerba »ἐν ὑπηρέτου προσχήματι» nescio an ad ep. Phil. II, 7 »μορφὴν δούλου λαβών» apte referri possint. Sed his praetermissis inter fabulas prosaicas nobis seruatas tot exstant, quae sententias »de dis rebusque diuinis in uera antiquitate peregrinas», ut de Babrio suo dicit Crusius, proferunt, ut dubitari non possit quin argumenta, quibus in deos illuditur, non ad Babrium solum, sed potius ad sectam aliquam rhetorum posteriorum late diffusam transferenda sint. Vt fabulae Halm. 1, 7, 49, 55, 90, 136, 148, 159, 354, 389 (quam etiam Plutarchus VII Sap. Conu. c. 14 narrauit) aut ueram auctorum impietatem prae se ferunt aut sententias et dicta continent, quae ab antiquorum opinionibus abhorrent. Babrii autem ad talem originem referendae sunt fabulae: 2, 10, 11, 12, 15, 18, 23, 30, 32, 48, 49, 57, 58, 59, 63, 68, 71, 119, 127, 129, quarum haud paucas iam ante Hartungius, Keller, Crusius, Rutherfordius, alii tractauerunt. Ad ea, quae iam ab his uiris doctis de talibus argumentis disputata sunt, breuiter nonnulla addere mihi in animo est.

Fabulam 2 Crusius sine dubio recte cum Halm. 286 coniunxit, quod autem statuit fabulae Halm. formam antiquiorem subesse, de ea quidem re dubitari potest. Magis autem hoc loco interesse uidetur, quem deum auctor intellexerit. Ad quam quaestionem diiudicandam nescio an ualere possit quod auctore Rohdio (l. l. p. 436) apud Heliodorum, quem ante quintum post Christum saeculum uixisse pro certo affirmat Christius (Hist. lit. graec.[2] pag. 682), Helios-Apollo adeo Iouem ceterosque deos omnes antecellit, ut auctori eum deum summum

fuisse facile appareat. Quum igitur haud longum temporis spatium inter Babrium et Heliodorum interfuisse uideatur, audacius esse non potest conicere Babrium, quum in fabula 2 ab eo »ὁ θεός» nullo nomine, quem dicat, ascripto inducatur, Apollinem subintelligere uoluisse (cf. Rohd. l. l. pag. 434). Quo factum est ut mordacior esset ironia, quum ipse Apollo-Pythius, qui hominibus responsa dare soleret, eosdem homines quisnam esset fur rogaret. Ad hanc coniecturam confirmandam aliquantum credo etiam fabulam Babrii 18, quam etiam narrat Plutarchus coniug. praec. c. 12 (= Halm. 82), ualere, quum in ea Sol Aquilone uicto ὡς θεὸς κρείττων introducatur.

Venerem fabulae Babr. 10 deam graecorum esse non posse Hartungio (Babr. p. 14), quamuis id nolit Crusius (l. l. p. 234 adn. 2), assentiendum est. Vnde nescio an id quoque explicandum sit quod ancilla deam lucernis colit, quo de more luculenter disputauit Crusius (l. l. p. 231). Sed praeter hunc morem ad cultum deae in fabula Babr. descriptum id quoque pertinere credo, quod in uers. 3—4 ancilla aureis et purpureis pannis induta progreditur. Nam et ipsam Aphroditen auream et purpuream a poëtis (ut Anacreonte et Homero) appellari solitam esse et columbas deae illi sacras ipso colore dominam aemulatas esse apud Aelianum nat. an. IV, 2 inueni. Columbarum igitur exemplum secuta ancilla se ipsam deae consecrare studens eos ipsos colores sibi sumpsit, quos deae maxime placere existimauit.

Fabula 12 mythum antiquissimum a Babrio corruptum esse non dubito quin recte demonstrauerit Crusius (l. l. p. 204). Sed praeter mythum illum ad narrationem Babrii (= Halm. 10) componendam multum ualuisse credo etiam argumentum ex auctore historiae naturalis sumptum, quo usus est Aelianus, quum (nat. an. III, 40) docuit lusciniam omnium auium maxime libertatem

amantem captiuam hominibus canere nolle (cf. Babr. 12, 13: »ὅπου γεωργοῖς, οὐχὶ θηρίοις ᾄσεις»), hirundinem autem hominum amicam ὁμωρόφιον eorum esse (cf. Babr. 12, 14—15: »καὶ παρ'ἀνθρώποις ὁμώφοφόν μοι δῶμα καὶ στέγην οἴκει»). Rhetores posteriores idem argumentum aliis quoque rationibus tractauisse inde concludendum est, quod Aelianus (Var. Hist. XII, 20) mythum illum, qui de scelere in Thracia commisso erat, cum argumento alio item ad historiam naturalem referendo coniunxit, quo Hesiodo auctore narrat lusciniam somni omnino expertem esse, hirundinem dimidia tantum parte somni auium ceterarum frui posse. Eundem mythum etiam narrationi obscoenae Aeliani nat. an. II, 3 subesse inuenio.

Argumento fab. 18 tractando poëtam eo magis delectatum esse eam ob rem credendum est, quod animo in Athenienses offenso fuisse uidetur (cf. Keller. l. l. p. 360) et Boreas Atheniensium affinis in hac fabula a Sole uincitur. Qua in re id quoque obseruandum esse censeo Aquilonem rationi illi, qua in fabula 15 uir Atheniensis describitur, congruenter impetu uehementi quidem in rusticum inuehi, ut nobis in memoriam »στωμυλία» rhetoris Atheniensis fab. 15 necessario redeat, re ipsa autem minis suis nihil agere.

Fabulam Babr. 48 non dubito quin recte Crusius (annal. philol. CXXVII, 1883, pag. 245) cum Macar. prou. IV, 10 composuerit. Addere uelim in responso Mercurii tria illa uera, de quibus in fabula Babr. 53 tractanda luculenter Crusius (Babr. aet. p. 208 sqq.) disputauit, agnosci posse. Ceterum fabula ipsa compositione quandam cum fab. 53 similitudinem praebet. Vt Babr. 53 finem abruptum profert, unde Crusius l. l. conclusit exemplar fabulae mutilatum ab auctore adhibitum esse, ita etiam finis fabulae 48 praecisus legitur, neque docemur quomodo canis responsum Mercurii acceperit.

Fabulam 59 Crusius (Babr. aet. pag. 211) cum Aristotel. de partt. anim. III, 2 et Lucian. Hermot. 20 contulit. Ad idem fere genus fabularum, quo certamina deorum describebantur, etiam Phadr. III, 17, qua auctor deos arbores, »quas in tutela sua esse uellent, legentes» induxit, pertinere censeo.

Vt in fabula 49 Tyche calumniam hominum indigne ferens meliorem famam assequi studet, ita in fab. 71 Thalassa homini uiolentiam reprehendenti: »μή με», inquit, »βλασφήμει· ἐγὼ γὰρ ὑμῖν οὐδὲν αἰτίη τούτων, ἄνεμοι δὲ πάντως, ὧν ἐγὼ μέση κεῖμαι». Ceterum obseruandum est agricolae uerba, quae sunt uers. 3, ad sententiam, quae Horatii carm. I, 3, 9—11: »Illi robur et aes triplex Circa pectus erat, qui fragilem truci Commisit pelago ratem» subest, prope accedere, quam congruentiam tamen fortuito ortam esse posse concedendum est.

Praeter argumenta ea omnia, quae supra tractata sunt, ad artem rhetorum referendas esse statuendum est etiam fabulas aliquas, quae quum argumenta obscoena exhibeant, in sylloge Aesopea antiqua lectas esse credi non potest. Nam modestiae fabularum collectionum Aesopearum parum conuenirent sordes, quae his fabulis insunt. In collectionibus autem graecis aliquot tales narrationes locum habuisse inde concludendum est, quod et in libro Halmii argumenta similia inueniuntur (cf. Halm. 7, 148) et Phaedrus ex collectione graeca nescio qua haud pauca huc referenda petiuit. Vt III, 11; IV, 16; IV, 19 (Havet.) omnes ad originem graecam referendae esse uidentur (cf. Halm. 319 = Phaedr. IV, 19). Praeter has fabulas apud Havetum (ed. pag. 49) inuenio etiam fabulam III, 1 ab Ellisio argumentis obscoenis additam esse. Fabula autem Phaedr. III, 3, cuius alio loco mentio facta est, natura sua a supra commemoratis longe recedit. Quae quum ita sint, statuere necesse

erit rhetores in collectiones suas narrationes, in quibus argumenta obscoena tractabantur, recepisse, indeque et Phaedrum et Babrium pependisse. Quae res inde quoque uerisimilitudinem assequitur, quod in spadonis »damno amissi corporis» tractando consentiunt (cf. Phaedr. III, 11 et Babr. 54). Babrius tria talia argumenta: 40, 54, 116 tractauit, quorum tamen 116 originem a ceteris duobus quodammodo diuersam prae se ferre uidetur.

Fabula 40 nescio an recocta esse possit ex commento illo Herodoti, cuius mentionem fecit etiam Aelianus (nat. an. X, 3), quo narrat cameli genitalia non sicut aliorum animalium protinus spectare, sed in caudam conuersa esse. Camelus igitur quum »τἀξόπισθε» natura inuita »ἔμπροσθεν» uideret, iure sibi male euenire dicere potest. Ceterum id quoque obseruandum esse uidetur camelum auctore Aeliano (nat. an. XVII, 7) aquam dilucidam et puram uitare (cf. Babr.: »ποταμὸν ὀξὺν ὄντα»), atque si quando ad riuum accesserit, statim aquam inquinare. Argumentum fab. 116 a ceteris obscoenis quodammodo diuersum Apul. met. IX, 26 recurrere Crusius inuenit et causis satis probabilibus commotus fabulis Milesiis adnumerauit (cf. Babr. aet. pag. 216 sqq.)

His expositis in editione Schneidewini quattuor restant fabulae, quae quum mancae in codicibus legantur, utrum libro priori an posteriori Babrii restituendae sint, diiudicari non potest. Sunt 128, 132, 134, 136, quarum auctore Rutherfordio (p. 130) 128 Suidas nobis sub »κωμήτης» uocabulo, 132 sub »κωλώτης» seruauit. Si igitur has exceperimus, omnes ceteras fabulas, quas in sylloge Aesopea, quam adhibuit Babrius, lectas esse demonstrari non potest, argumento et genere diuersissimas ad artem rhetorum referendas eamque ob rem in Babrii libro posteriore reponendas esse ex iis, quae supra dicta sunt, elucere credo. Non ignoro multa

restare et fabularum fragmenta, quae Babrii nomine proferuntur (qua de re consulenda est editio Crusii, Lips. 1897), et argumenta fabularum prosa oratione paraphrasibus seruata, quae tamen omnia, quum »Βάβριον αὐτότατον», ut uerbis Rutherfordii utar, ad cognoscendum magis quam »τοὺς Βαβριάζοντας» mihi proposuissem, aliorum curis, si quis in his commorari uelit, relinquere statui. Omnium primum tamen ea quaestio soluenda est, quantum horum, ut cum Horatio loquar, membrorum poetae disiectorum re uera Bábrio nostro uindicandum sit. Quod quum factum erit, spero nouas illas fabulas Babrianas in ordines et genera ea diuersa, in quibus fabulae supra tractatae omnes continentur, sine ulla difficultate distribui posse.

Corrigenda et addenda.

Pag. 2, lin. 12; 8, lin. 1; 10, lin. 1; 24, lin. 6; 25, lin 6 leg.: encyclopaedia
„ 13, „ 12 „ interpretationem
„ 33, „ 27 „ ϑ'ἑᾶλον
„ 35, „ 11 „ potissimum
„ 38, „ 24 „ abhorruisse

Pag. 129 extr. animaduertere uelim me sero inuenisse etiam Crusium (Babr. aet. pag. 205) de Halm. 300 ad prouerbium Zenob. V, 93 ficta monuisse.

FEB 13 1911

Gb 1.68
Stvdia de fontibvs fabvlarum Babria
Widener Library 004408936
3 2044 085 105 690